







1778, 1 15

DE LIBERA  
BONA AVITA ALIENANDI

FACVLTATE

IN HOLSATIA PER SPECVLVM SAXONICVM  
NON RESTRICTA  
LIBELLVS ACADEMICVS

AVCTORITATE

INCLITI IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

PRO

SVM MIS IN IVRE HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

A. D. XV. APRILIS A. O. R. CIO MDCC LXXVIII

AD DISCEPTANDVM

PROPOSITVS

AB AVCTORE

FRIDERICO CHRISTOPHORO IENSEN  
KILONIENSI

ILLVSTRISSIMI CORPORIS PRAELATORVM ET NOBILIVM SLES-  
VICENSIVM ET HOLSATICORVM DEPVATIONIS PERPETVAE  
A LITTERIS ET CAVSSARVM IN IVDICIIS INFERI-  
ORIBVS DVCATVS HOLSATICI ORATORE.

K I L I A E

LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII  
ACAD. TYPOGR.









VIRIS  
SVMME VENERABILIBVS  
ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMIS  
GENEROSISSIMIS  
DVCATVVM  
SLESVICENSIS ET HOLSATICI  
SPLENDIDISSIMO  
PRAELATORVM  
ET  
EQVITVM ORDINI  
ADSCRIPTIS

FAVTORIBVS SVIS  
INDVLGENTISSIMIS



HUNC  
QVALEMVNQVE LIBELLVM  
VT  
SVMMAM PIETATEM REVERENTIAM  
OBSERVANTIAM  
GRATISSIMVMQVE ANIMVM  
TESTETVR  
PIA MENTE  
D. D. D.  
TANTORVM NOMINVM

CULTOR OBSERVANTISSIMVS  
FRIDERICVS CHRISTOPHORVS IENSEN.



I  
DE  
LIBERA BONA AVITA ALIENANDI FACVLTA  
IN HOLSATIA  
PER SPECVLVM SAXONICVM NON  
RESTRICTA.

CAP. I.  
DE VI ET AVCTORITATE SPECVLI SAXONICI  
IN HOLSATIA.

§. I.  
ORDO DICENDORVM.



Vtilissimum, & ad iurium interpretem maxime appo-  
situm, communi totius saeculi nostri suffragio aesti-  
matur studium, instituta, mores, legesque gen-  
tium, tam antiquioris, quam recentioris aevi, a pri-  
mis inde incunabulis, ab vltima, rudi atque in-  
cultura origine repetendi, vt appareat, quibus potissimum rei pu-  
blicae conuersionibus populi, suo quisque tempore, ex tene-  
bris illis, quibus rerum humanarum primordia premi solent,  
prodierint, vetustiores ciuitates factorum gloria superarint,  
aequales sibi subiecerint, & suo denique fato extincti hominum  
paene memoriam deseruerint. Dignissimus sane iureconsulto  
labor! quippe cuius est, studio legum patriarum saluti patriae  
inseruire, nec tanquam incommoda & inepta ea relinquere,  
quae primo intuitu oculorum aciem fugiunt, altaeque caligine  
A tecta



tecta scrutantes a coepto opere deterrent. Nulla enim alia patet via, qua ad genuinos legum consuetudinumque sensim inualescentium fontes progredi, veramque & firmam iurisprudentiae cognitionem haurire liceat. Quae quidem in mentem venerunt nobis accedentibus ad tractandam quaestionem, cum antiquissima tam patriae, quam vniuersae Germaniae conditione ita cohaerentem, vt a se inuicem separari nequeant. De bonis auitis enim scribere instituimus, quorum naturam quamuis plurimj ex vetustissimis Germanorum documentis eruere studuerint, multae tamen, quae inter viros doctos hac de re ortae sunt, dissensiones post largam messem non contemnendum relinquunt spicilegium. Specialius vero argumentum propositum nobis est, quum de iuribus bonorum auctorum in Holsatia differere mens sit, vt demonstramus, alienationem eorum, quam Doctores per vniuersum Germaniae imperium prohibitam esse affirmare solent, non obstante Speculo Saxonico ibidem libere procedere. Quod quidem vt pateat, quomodo fieri possit, de vi & auctoritate Speculi Saxonici in Holsatia quaedam praemitamus; id quod ideo potissimum videtur necessarium esse, quia non desunt, qui vetustum illud monumentum e patria plane exulare volunt, aut antiquioribus Germanorum legibus nimis fauendo auctoritatem illius minuunt, iuraque Saxonica non ex receptione Speculi, sed quia in Holsatia nata sunt, ibi obtinere affirmant. Quare illustris orta est controuersia: vtrum ius Saxonicum in Holsatia sit receptum, an originarium? Quibus in capite primo huius libelli breuiter expositis, in capite secundo progrediemur ad ipsam Speculi Saxonici de bonis auitis non alienandis sanctionem, ita vt, praemissis nonnullis de antiquissima horum bonorum natura, ex hac ipsa qualicunque nostra proposita coniectura, paullo aliter, ac fieri solet, originem & causam eiusdem deducere annitamur. Qua quidem ratione via patebit



patebit ad caput tertium, in quo liberam bonorum auctorum in Holsatia alienationem variis adstruere argumentis conabimur.

Habes hic, Lector humanissime, quae hoc qualicumque libello tibi tradere animus est, in tabula quasi depicta. Quae quidem si magni tibi videntur momenti esse, quam rerum grauitas tibi excitabit expectationem, eam secundum scribentis conditionem temperes rogo. Indicat enim vel frons libelli, esse hoc, qualecunque est, scriptiunculae genus iuuenile, quo quidem scribentium est, non doctos se & eruditos, sed doctrinae cupidos, nec plane ignaros praestare.

## §. II.

## HOLSATIA ANTIQVA SAXONVM SEDES.

Primum igitur, vt est propositum, vis & auctoritas Speculi Saxonici iustis coercenda est limitibus. Qua quidem in re duo potissimum videntur obseruanda. Primum, non omnia, quae in Holsatia obtinent, iura Saxonica inde migrasse, sed plurima eorum vel moribus, vel iure scripto instituta, Speculi aetatem longe superare. Deinde Speculum illud in Holsatia receptum dici posse, tam respectu iurium, quae iam olim ibi obtinuerunt, quam ratione illorum, quae tum maioribus ignota fuerunt, saluis tamen moribus contrariis, quippe per receptionem non abrogatis. Quae vt pluribus illustremus, poicit instituti ratio.

Holsatiam antiquissimam Saxonum patriam fuisse plurimi variis coniecturis & argumentis <sup>a)</sup> euincere studuerunt, neque

A 2

adeo

<sup>a)</sup> quorum recensum videtis apud IO. CAR. HENR. DREYERVM in libro de usu genuino iuris Anglo-Saxonici p. 3. not. c. p. 53 sqq. Quae fere haec sunt: primum desumptum est ex PTOLO-

MAEO PELVSIOTA, qui Lib. 2. Geograph. c. 11. Saxones ceruicem Chersonesi Cimbricae sedem sibi constituisse memorat, quam ceruicem hodiernam Holsatiam, Stormariam, Wa-



adeo inanibus, ut omnem fidem illis denegare liceat. Multa enim sunt, quae suspiciosum quoque vetustatis scrutatorem partibus illorum accedere inducunt, quum singula quidem huius rei argumenta nonnunquam inter se pugnare videantur, omnia tamen ad stabiliendam illam sententiam, quod Holfati a Saxonibus originem traxerint, probe conveniant. Maxime autem arridet IO. GE. ECCARDI <sup>b)</sup> opinio, qua primum, *Aspfit-*

105,

griam & Dithmarsiam esse autumant viri docti. Cui opinioni praeter ibi nominatos accedit CHRIST. LUDOV. SCHEID in praefatione ad JO. GE. ECCARDI lib. 2. de origine Germanorum p. XL (\*) Deinde Saxones, PTOLOMAEO, saeculi secundi scriptore, primam Saxonum mentionem faciente, antiquiores putant esse Teutones, Cimbrorum bellicae contra Romanos fortunae socios; quorum memoriae adhuc plures in Saxoniam & Cimbricam extare volunt reliquias. CLYVERVS autem in Germania antiqua Lib. 3. cap. 21. Pofis, a TACITO in eximio libello de moribus Germanorum c. 36. nominatos, veteres fuisse Saxones existimat, quum TACITVS eundem Pofis assignet locum, quem PTOLOMAEVS Saxonibus tribuit. Denique ipsum Holfatiae nomen derivant ab Ost Saxen, quippe quo Holfatorum origo dilucide indigitari illis videtur.

<sup>b)</sup> de origine Germanorum eorumque vetustissimis coloniis, migrationibus & rebus gestis Lib. I. §. 23. "Saxones coluerunt geminos auctores gentis Odinum & Wodanum, quod idem nomen est. Ambo occurrunt in Confessione Saxonica, (Morum. Paderb. in appendice), ubi renuntiatur den Vuoden end Saxn Ore id est Wodano & Saxonum Odino. — —

„Dicunt (Suavi) Odinum As cognominatum, & omnes ipsius comites, ex quibus deinde gentis primores, Asas, quod Asiaticos exponunt. Sed ego potius conicio, Odinum hunc cum suis fuisse ex celeberrima apud Vandalos gente Asarum, vel Astingorum, cuius iam Dio Lib. 71. & postea etiam aliquoties IORNANDES (Edit. Lindenbrog. p. 102. & 97.) meminerunt. Fuit in Vandalia Asfeld, seu campus Asarum, in quo, indice PAULO DIACONO Lib. I. c. 22. Longobardi cum Gepidis pugnare. Idem (non quem ECCARDVS nominat, Iornandes; vir eruditissimus enim seductus forte videtur continua paginarum serie, qua LINDENBROGIVS Iornandem & Paulum Diaconum iunxit), Lib. I. c. 11. p. 199. inter Scoringiam, seu Chersonesum Cimbricam, & Mauringiam, sine in vicinia Pomeraniae, locat Assipuros, quod Asarum reliquias interpretaris, gentis nempe maiore parte tunc iam ulterius & Septentrionem versus digressa. Idem l. c. cap. 17. Ambrum & Assum duces Vandalorum, Scoringiae vicinam regionem infestantes, commemorat; ubi forte pro ducibus gentes nominare debuisset, a quibus Saxones orti. Vri enim Odinus, Saxoniorum Principum sator, As dictus est, iza Saxones, qui Angliam saeculo quinto occupaverunt, a Nennio Ambrones, id est, Ast-



105. QUOS PAVLVS WARNEFRIDVS inter *Scoringiam*, siue *Chersonesum Cimbricam*, & *Mauringiam* medios collocat, fuisse Saxonum stirpem ex eo probat, quod *Odrinus* populi Saxonici conditor, ex Vandalica gente *Asarum* descendens, cognominatus fuerit *As*, vti omnes ipsius comites *Asae* dicti, ita vt *Aspitri* eos denotarent, qui ex *Asarum* gente reliqui manserunt; deinde ex situ *Asarum* prope *Scoringos* id certe cogi posse autumat, quod *Asae* post exitum ex *Vandalia*, non, vt *Sueci* affirmant, in *Asia* prope flumen *Tanaim* sedes sibi elegerint, sed prope *Egidoram* seu *Eidoram* fluuium *Holsatiae*, olim *Tanam* vel *Denam* dictum, qui *Tonningae* & *Danemarcae* nomen dedit, indeque per omnem *Chersonesum Cimbricam* sese diffuderint, tandemque vniuersum Septentrionem subegerint. Idem ille *ECCARDVS* autem postea <sup>c)</sup> probat, *Cimbros* <sup>d)</sup> fuisse incolas *Holsatiae*: „*Teutones*, inquit, *sua* adhuc aetate *Codanoniā* siue *Scandinaviā*, hoc est, *Lutlandiam* tenuisse *MELA* <sup>e)</sup> affirmat. *Infra* eos ergo, in *Holsatia*, *Wagriacae* et reliqua *Chersoneso* *Cimbros* degisse *STRABONI* <sup>f)</sup> credendum est. *PLINIVS* <sup>g)</sup> *sinum Lagnum Cimbris* conterminum ,facit

A 3

„Saxones vocantur, quod pars eorum ab *Ambra* vel *Emmera*, fluuio *Westphaliae*, quo olim iam commigrauerant, eo reniferet. Atque ita Saxones origine *Vandali* sruere. *Septentrionales* autem cum semel rex *Asis* nostris *Asiaticos* fecissent, & fando audiuissent, vel ex cantilenis maiorum uaccepissent, conuiderunt illos *Asas* ad fluuium *TANAM*, protinus exinde *Tanaim*, *Asiae* terminum fecere. — — Sed ex situ *Asarum* sub *Scoringis* clarum est, eos nequaquam in *Asia*, sed ad *Egidoram* fluuium *Holsatiae*, olim *Tanam* vel *Denam* dictum (*Geograph. Ravenn. Lib. 3. c. 13.*) vnde *Tonningae* & *Danemarcae*, siue *limiri Danico*, & *Danis* ipsis nomen, post exitum ex *Vandalia* conuiderunt, inde

„per omnem *Chersonesum Cimbricam* sese diffudisse, tandemque *Septentrionem* ipsam sibi subegisse.”

c) l. c. §. 77.

d) De origine nominis *Cimbrorum* videas *ECCARDVM* l. c. §. 79. & *GYNDLINGIVM* in *Gundlingianis* P. 6. obs. 5. ob *Holstein* so viel als *Eolt*, *Ealt*, oder *Alt-Sachsen?* §. 5. in f.

e) de situ orbis *Lib. 3. c. 3. & 6.*

f) de situ orbis *Lib. 7. p. m. 531.*

g) *Hist. Nar. Lib. 4. c. 13.* vbi *PLINIVS* prope *Scandinaviā* in promontorio *Cimbros* habitasse narrat: „*Seuo mons*, inquit, *ibi immensus*, nec *Riphaeis iugis minor*, inmauem ad *Cimbrorum* vsque promontorium efficit



„facit — qui SAXONI GRAMMATICO *Lymicus dicitur, at-*  
 „*que ad alburgum lutiam paene dirumpit. Consentit TACITVS* <sup>b)</sup>  
 „*qui Cimbroſ ſinum Oceani tenere dicit: et PTOLOMAEVVS* <sup>i)</sup> *ab iis*  
 „*Cherſoneſum Cimbricam facit. Nec diſſentit PLVTARCHVS* <sup>k)</sup>  
 „*Oceanum Septentrionalem, hoc eſt, mare Balthicum eos accoluiſſe*  
 „*referens. Non autem ſola Cherſoneſo contentos: ſed etiam in littore*  
 „*maris Germanici diſfuſos ab Albi uſque ad Rheni exitum STRABO* <sup>l)</sup>  
 „*docet.*” <sup>m)</sup> Probabilis ſane nobis haec coniectura videtur,  
 quamuis ſimpliciter illam pro vera iactare haud audeamus. Suf-  
 ficiat autem generalis huius argumenti veritas, qua conſtet,  
 Hoſatos originetenus fuiſſe Saxones, & deſcendamus ad illa  
 tempora, quibus Hoſatorum, tanquam gentis Saxonicae, ex-  
 preſſam mentionem reperire datum eſt. Saxones enim a ſitu  
 ſuo prope Albi in duas potiffimum gentes diuiſos fuiſſe legi-  
 mus, quarum vna verſus ſeptentriones, barbaro *Nordalbingo-*  
*rum* ſ. *Nordalwingorum* & *Transalbianorum* nomine diſtineta, in  
 quorum numerum Hoſati referuntur, altera meridiem verſus  
 habitauit. Ita auctor *chronici Slauorum* HELMOLDVS <sup>n)</sup> „habet,  
 inquit, „*vtique Hammenburgenſis eccleſia praepreſcriptos terminos ſuae*  
 „*parochiae, vltimam ſcilicet Saxoniae partem, quae eſt trans Al-*  
 „*bin, et dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Thetmarſos,*  
 „*Hoſatos, Stormarios.*” Item <sup>o)</sup>: „*ires Nordalbingorum populi*  
 „*Sturmarii, Hoſati, Thetmarſi, nec habitu, nec lingua multum di-*  
 „*ſcrepan-*

„*ſinum, qui Codanus vocatur, refertur*  
 „*inſulis: quarum clariffima Scandinauia*  
 „*eſt.*” — — „*Promontorium Cimbro-*  
 „*rum excurrens in maria longe peninſu-*  
 „*lam efficit, quae Cartris appellatur XXIII.*  
 „*M. paſſuum.*”

<sup>b)</sup> de moribus Germanorum c. 37.

<sup>i)</sup> Lib. 2. Geograph. c. 11.

<sup>k)</sup> in Mario p. 411.

<sup>l)</sup> l. c.

<sup>m)</sup> Neque haec ſententia iis om-  
 nino repugnat, qui Saxones, PTOLO-  
 MAEO antiquiores, Teutones fuiſſe cre-  
 dunt, quum ECCARDVS noſter p. 78.  
 Teutones olim ſub communi Cim-  
 brorum nomine comprehenſos eſſe,  
 doceat.

<sup>n)</sup> Lib. I. cap. 6.

<sup>o)</sup> Lib. I. cap. 47.



„*scirepantes, tenentes Saxonum iura.*” Consentit ADAMVS BREMENSIS P): „*Transalbianorum Saxonum, aicns, tres sunt populi, primi ad oceanum Diimarsi, — secundi Holtzati.*” Suffragatur quoque Chronicon vetus Holsaticum D) his verbis: „*tres nationes, scilicet Sturmaria, Diuhmaria, & Holsatia Nordalwingi ultra Albeam Saxones fuerunt vocitati.*” r) Ex quibus omnibus abunde constare nobis quidem videtur, Holsatiam, quantum ob vetustatis tenebras suspicari licet, ab antiquissimis inde temporibus Saxonum sedem fuisse. Neque immortalis DE WESTPHALEN s) asserere dubitavit, Holsatiam veram & genuinam iuris Saxonici patriam fuisse, neque ex Saxonia hodierna in Holsatiam, sed ex Holsatia in Saxoniae partes iura Saxonum deriuata esse.

§. III.

NON OMNIA IVRA SAXONICA ANTIQVA HOLSATIAE SVNT ORIGINARIA.

Accedamus iam ad nobilissimam & inter viros doctos agitatam quaestionem: vtrum iura Saxonica sint iura Holsatiae originaria? Ius originarium autem, quod opponitur recepto, dicitur, quod ipse populus sibi condidit, siue moribus constet, siue legibus. Vtrumque igitur tam scriptum, quam consuetudinarium ius Saxonicum, quod ante in Holsatia obtinuit, quam Repkowiiana collectio ibi cognita fuit, dici potest Holsatiae originaria-

p) Hist. Ecclesiast. Lib. 2. cap. 8.  
 q) cap. 15. in Accessionibus historicis  
 GVIL. GODOFR. LEIBNITII Tom 3.  
 p. 29.  
 r) PFEFFINGERI Vitriarius illustratus T. I. Lib. I. tit. 1. p. 204. DE WESTPHALEN monumenta inedita T. 3. praef. p. 35. nor. y. pag. 47. sq. nor. k.

p. 49. nor. kk. DREYER de vsu genuino iuris Anglo-Saxonici §. 3. nor. d. p. 62. VON CRONHELM Historischer Bericht von den ältern und neuern Rechten in Holstein cap. 3. im ersten Nebenbande des Corporis Constitutionum Regio-Holsaticarum. p. 45. sq.  
 s) l. c. T. 3. praef. p. 35. nor. y.



ginarium. Sed qui inde coniiceret, omnia, quaecumque demum sint, iura Saxonica, olim in Holfatia viguisse, valde erraret. Quis enim ideo, quia Holfatia quondam fuit patria Saxonum, mansitque semper Saxoniae pars, omnia iura, quae apud singulos Saxonum populos, dudum ex Holfatia egressos, obtinuerunt, Holfatiae originaria diceret? Ferri forte poterat illa omnium iurium vetustorum Saxoniorum in Holfatiam accessio, si Saxones nunquam ex his terris discessissent, aut, quantum seiuncti, communia tamen celebrassent comitia, sicuti curatissime finiri poterat, quatenus iura Saxonum communia ad patriam nostram pertinerent, si tempus, quo hi populi has sedes dereliquerint, certo determinari posset, & constaret, quae iura tum omnes Saxones peraeque custodierint. Qui enim vel ea considerauerit incommoda, quae ex emigratione ipsa nascuntur, nouisque institutis & legibus desuetenda & ad salutem publicam reducenda sunt, nec legibus patriis antea definiti potuerunt, quia eadem nunquam exstabat conditio: is sane nobiscum sentiet, iura, his rerum vicissitudinibus introducta, ab iis probe separanda esse, quae patriae derelictae fuerunt innata, licet aliquam legum patriarum similitudinem retinuerint, eam scilicet, quae proprio cuiusque gentis genio nititur. Deinde terra ipsa, quam eligunt migrantes, quot quantasque suggerit causas novas leges poscentes? <sup>a)</sup> Accedit denique, quod maximum est, nexus, quo emigrantes nouis vicinis iunguntur, qui integram saepe populi indolem commutat, aut innumeras certe nouae legislationis adfert causas, quibus omne iurium patriorum deletur vestigium. Haec de emigrantibus dixisse sufficiat. Iam animum aduertamus

<sup>a)</sup> quanta ipsius coeli vis sit in leges consuetudinesque gentium demonstrarunt J. H. BOEHMER in *dissertatione de iuribus diuersis ex diuersitate climatum naris*, & qui inter ciuiliis prudentiae cultores primum nominandus MONTESQUIEU in libello gallico: *de l'Esprit des Loix*. T. 3. Lih. 14.



mus ad patriam ab iis derelictam. Sane haec quoque permultis obnoxia est rei & publicae & priuatae conuersionibus, quibus vel vno saeculo plane immutatur. *b)* Quae vt clarius pateant, & ad Holsatiam nostram magis accommodentur, respicias velim ad vicissitudines patriae legumlationis *c)*, neque dubito, quin no- uis firmissimisque argumentis, quae diximus, suffulta reperias. Tantum tamen abest, vt negem omnem, ex comparatione le- gum populorum eiusdem originis in interpretatione legum pa- triarum proficiscentem, usum, vt potius illum maximi mo- menti esse putem. *d)* Ex hac enim comparatione demum elu- ceseit, quae manserit iurium identitas, quae discrepantia indu- cta sit; multoque cautior fiet interpres, ne omnia iura misceat, nec ex eodem iurium fonte, pluribus gentibus communi, eas- dem cogat argumentationes, quippe quae secundam variam gentium conditionem quoque variantur.

## §. IIII.

IVS SAXONICVM EX PARTE ESSE ORIGINARIVM  
HOLSATIAE NON NEGAT IVS PROVINCIALE  
SAXONICVM.

Quibus omnibus optime congruere videtur effatum illud

B

Repko-

*b)* Quamobrem Sextus Caecilius Ictus apud GELLIVM in Noctibus Atticis Lib. 20. c. 1. Faurorium philo- sopherum, leges XII. tabb. reprehenden- di argumentum ex eo desumen- tem, quod populus Romanus non- nullas earum leges sicut atque senio emori passus sit, ita refutat: „nec ideo contemnis legum istarum antiquitates, quia plerisque ipsis iam populus Roma- nus uti desuerit. non enim profecto igno- ras, legum opportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerum publi- carum generibus, proque viciorum, qui-

bus medendum est, feruoribus mutari at- que flecti: neque vno statu consistere, quin, vt facies coeli & maris, ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur.“

*c)* quas recenset DE CRONHELM in libello ad §. antec. nominato; item- que Vir Perillustris WILHELMVS ER- NESTVS CHRISTIANI, ob eximia in Academiam nostram studia patriae, ob singularia in me officia, mihi nun- quam non colendus, in der Geschichte der Herzogthümer Schleswig und Holstein.

*d)* Cuius rei insigne documentum



Repkowii: <sup>a)</sup> *der Gegend ist auch genug binnen dem Herzogthum und Lande zu Sachsen, die sonderliche Recht haben wollen, als die Holsteiner, Stormare und die Hadeler. Von ihrem Recht noch von ihrem Gewette sage ich aber hie nicht.* Videtur autem in hoc loco nimis dura viro-  
rum doctorum in Epkonem inuectio, qua eum ignorantiae iurium vere Saxoniorum accusant, putantque illum peregrinis iuribus infectum, vim quandam genuinis Saxonum moribus intulisse. Quis enim iure succenseat nostro, qui, enarratis institutis & legibus, quae suo tempore apud Saxones obtinuerint, negat, easdem valere in Holsatia, quamuis antiquissima Saxonum patria? Confirmari potius ex eo videtur, recentiores esse, quos recenset, Saxonum mores, nec ex patria in regionem, quam postea incoluerunt, translatos. Neque enim Epkouius ex Holsatia omnes exulare dicit mores Saxonicos, sed asserit, praeter *ius commune* Saxonieum, dari *in ipsa Saxoniam* regiones, in quibus peculiaria quaedam & singularia iura obtineant, quae tamen, quia particularia sunt, omittit, nec libro suo persequi, aut de iis exponere instituit. Ita ius Holsaticum conscripturus si diceret: Sunt vero in Holsatia sat multae vrbes, quae peculiari iure suo vtuntur, quis ex his verbis cogeret, negare illum, vrbes istas plane non regi iure Holsatico? Sicuti ergo huic Iuris Prouincialis Saxonici loco nulla vis inest, ad plane deneganda Holsatiae iura Saxoniae, ita multum ille valet ad probandum, non quaeuis iura Saxonica Holsatiae originaria esse, nec leges veteres Saxonum, quae priuato studio collectae sunt, ad Holsatiam simpliciter applicari posse. Difficile enim est probatu, has leges esse Holsatiae originarias, quum de tempore, quo conditae sint, non constat, & demum CAROLVS M. iura gen-  
tium

praebet libellus IO. CAR. HENR. DREYERI frequentius nominatus de  
*usu genuino iuris Anglo-Saxonici in ex-* plicando iure Cimbrico.  
a) Lib. 3. art. 64. I. P. S.



tium deuictarum, quae scripta non erant, in scripturam redegerit <sup>b)</sup>, emigrationes autem Saxonum haec tempora plura saecula antecedunt. Nec sententiam mutare cogit, quod Holsatos pro consuetudinibus in patria natis, ceu pro aris & focis, militasse <sup>c)</sup> referant, quum, deficiente probatione, quod leges illae veteres Saxonicae in Holsatia fuerint natae, argumentum illud potius e re nostra sit.

§. V.

SPECVLVM SAXONICVM IN HOLSATIA  
EST RECEPTVM.

Quum igitur ex prioribus efficiatur: ea iura Saxonica saltem posse Holsatiae originaria dici, quae in ipsa Holsatia vel legibus ibi conditis, vel moribus domesticis inualuerunt; restat alterum, vt probemus: Speculum Saxonicum in Holsatia esse receptum. Quamuis enim iuribus Saxonis ante hanc collectionem in Holsatia vigentibus auctoritas sua non ex receptione demum contracta sit, sed ex ipsa origine competierit, huic tamen minime repugnat, quod iam probandum nobis sumimus, Speculum Saxonicum in Holsatia esse receptum. Receptionem enim illam tribuimus Speculo Saxonico, quatenus tanquam ius scriptum consideratur, & licet multa illud contineat antiqua & originaria patriae iura, tamen praeter ea multis recentioribus quoque, quae domestica Holsatiae iura dici non possunt, refertum est. Per receptionem illam igitur non tantum haec recentiora iura, quatenus patriis moribus non repugnant, in Holsatiam nostram inuecta demum sunt, verum quoque ipsa illa antiquiora

B 2

&

<sup>b)</sup> teste EGINHARDO in vita Caroli non erant, describere ac litteris mandari  
M. p. n. 353. Omnium nationum, quae fecit.  
Sub eius ditione erant, iura quae scripta

<sup>c)</sup> DE WESTPHALEN in praef. T. 3.  
monum. inedit. nor. kk p. 48 sq.



& vetustiora, quae originetenus patriae nostrae debentur, tanquam iura non scripta & consuetudinaria, formam iuris scripti induerunt. Receptam autem esse compilationem Repkowianam in patria, plurimis documentis demonstrari potest. Primum est *transactio* inter CHRISTIANVM II. Regem Daniae, & FRIDERICVM Ducem Slesuici & Holsatiae in monasterio Bordisholmensi ao. MDXXII. inita <sup>a)</sup> quae haec habet: *Idt schall ock im Hertogdom tho Holsten na eren olden Gewahnheit unde Statuten, ock na dem Sachsen Spiegel gericht und geordelet werden — — na vermöge der Priuilegien; vbi expressa speculi Saxonici mentio fit.* In eandem plane sententiam abeunt verba ordinationis iudicii provincialis Slesuico-Holsatici de ao. MDLXXIII. <sup>b)</sup>: *Daß in Mangel einer beständigen rechtmässigen Gewohnheit vermöge der Landes-Privilegien nach Sächsischen Rechten zu urtheilen.* Iura Saxonica enim nihil aliud indigitare, nisi Speculum Saxonicum, docent *monita Ordinum Holsaticorum*, in comitiis Flensburgensibus a. d. XV. Septibr. MDCX. habitis, proposita, quibus mota quaestio: *utrum constitutiones Electorales Saxonicae his verbis quoque sint comprehendendae?* sequentem in modum deciditur: *daß es bey dem alten Sachsenrecht pleiben soll.* Idem quoque affirmant *monita* de ao. MDCXXXVI his verbis: *nachdem das alte Sachsenrecht der Landgerichtsordnung P. II. Tit. III. mit einverleibet, und besonders pro cautela gesetzet, daß nach dem damaligen üblichen Sachsenrechte gesprochen werden sollte, bevorab weihl auch die nouellae Constitutiones nicht allezeit dieser Oerter kundig.* <sup>c)</sup> quare ordinationi iudicii provincialis reuisae <sup>d)</sup> haec inserta sunt: *Im Mangel einer beständigen rechtmässigen Gewohnheit soll nach den Sachsenrechten dergestalt, wie wir deswegen darjenige, so der Vernunft und*

<sup>a)</sup> cf. IARGOW Einleitung zu der Lehre von Regalien in appendice privilegiorum der Holsteinischen Ritterschaft P. 59.

<sup>b)</sup> P. 2. Tit. 3. cf. DE CRONHELM

Historischer Bericht &c. cap. 5. p. 79 sqq.

<sup>c)</sup> DE CRONHELM l. c. p. 80 sqq. addatur ERICVS MAVRITIVS in consiliis Chiloniensibus. P. 1. conf. 7. n. 15.

<sup>d)</sup> P. 2. Tit. 3. §. 3.



und Billigkeit conform, auch unsern Fürstenthumben am nützlichsten seyn wird, extrahirn und abfassen zu lassen im Werk begriffen sind, geurtheilt werden. Rem omnem denique conficit Constitutio ad ordinandam rem iudiciariam a Magno Duce Russorum a. d. XXVI. Aprilis MDCCCLV. emissa, in §. 1., his verbis: So verordnen wir zugleich zu Vermeidung aller etwanigen Zweifel hiedurch, daß durch das bemeldte Sachsenrecht bloß das alte Sächsische Landrecht zu verstehen, und dasselbe in Ermangelung der Verordnungen und Gewohnheiten, auch wenn die bey denen Untergerichten geltende iura statutaria aufhören, beständig zur Richtschnur zu nehmen sey, dergestalt, daß derjenige, der die Vorschrift des alten Sachsen Landrechts für sich hat, allemahl fundatam intentionem haben soll. Quae quum ita sint, quis dubitabit, illam morum collectionem in Holfatia valere, vt ius scriptum receptum? meritoque in rite diiudicanda iurium Saxoniorum vi, dirimendaque quaestione, vtrum Holfatiae originaria sint iura ista, an ex receptione obtineant? fecernendum esse ius Saxonicum, moribus & legibus dudum ante Speculum in Holfatia vicens, ab hoc Speculo nostro. Quam quidem disiunctionem ab vtraque dissentientium parte neglectam video, quum alii omnia iura Saxonica Holfatiae quasi patriae tribuant, alii contra omnium iurium Saxoniorum vim in his terris ex receptione deriuare velint.

§. VI.

CONTRA HARPPRECHTIVM DISPVTATVR.

Probatis igitur iis, quae propofuimus, restat dubium a celeberrimo quondam HARPPRECHTIO <sup>a)</sup> contra nos motum.

B 3

Negat

a) in P. 2da commentationis ad decretum Diui Marci §. XI. p. 109. vbi argumentis ex Ordinatione provinciali de ao. MDLXXIII. & monito Ordinum de ao. DCX. pro afferenda speculi Saxonicis auctoritate deductis sequen-

tem in modum occurrit: primo eorum argumento ipsa Ordinationis provincialis verba, vti aiunt formalia, ibi: soll nach den Sachsen-Rechten, NB. dergestalt, wie wir dasjenige &c. quibus Serenissimi Legislatores quidem ius aliquod Saxonicum



Negat enim, ex ordinatione iudicii provincialis de ao. MDLXXIII. nec non ex monito Ordinum Holfaticorum de ao. MDCX. inferri posse Speculi Saxonici in Holfatia auctoritatem, quae potius secundum verba ordinationis iudicii provincialis reuisae, modo a nobis prolata, iurium Saxonorum compendio, Serenissimorum Principum auspiciis in publicam lucem edendo, vindicari debeat, quum constitutiones posteriores prioribus derogare manifestum sit; de Ordinum Holfaticorum monito autem in vtramque partem disputari posse autumat, quum ordines quidem in illa sententiarum varietate iuri Saxonico veteri potius, quam Electorali stare maluerint, Augustissimi vero legum Conditores vtrumque fieri noluerint. Contra quae recte iam monuit IOACHIMVS DE FRICCIVS <sup>b)</sup>, illi Serenissimorum Principum consilio legem priorem abrogandi vim tribui non posse, quum nunquam in lucem prodierit hoc iuris Saxonici compendium; vt etiam interpretationi HARPPRECHTII Ordinum Holfaticorum priuilegia, quibus vsus iuris Saxonici expresse concedatur, aduersari docet FRANC. ERN. VOGT. <sup>c)</sup> Quo autem curatius excutiamus argumenta contra nos allata, ad ipsa ordinationis iudicii provincialis

sed certe non illud in abstracto consideratum, (quod in Land-Recht, Weichbild & Glossa forsitan olim constitit, sed in concreto id, quod ipsorum auspiciis, ad normam rectae rationis, aequitatis & utilitatis suorum Principatuum publicae, in compendium redactum, proxime proditurum sit.) approbant, adeoque verba definita & determinata, iuxta regulas sanae interpretationis, etiam determinate exaudienda: nec ea quae de veteri ordinationis provincialis textu allata sunt. (cum constitutiones posteriores prioribus derogare manifestum sit ex L. fin. ff. de Constit. Princip.) magnopere curanda esse, indignant,

quam maxime aduersari censemus. Alterum vero, quod de Ordinum monito dictum, in vtramque partem conueribile esse, & ex eo hoc solum induci posse nobis videtur, quod Ordines in illa sententiarum varietate, iuri Saxonico veteri potius, quam recentiori Electorali stare voluerint, Serenissimi vero Legislatores vtrumque noluerint, Ordinesque ad futurum remiserint.

<sup>b)</sup> in obseruationibus iuris Holfatici §. 2. p. 8. sqq.

<sup>c)</sup> in diss. de testamentis secundum iura Slesuicensia & Holfatica §. 4. p. 28. sqq. nos. \*



cialis verba mentem aduertamus necesse est, vt videamus, vtrum  
 Principes consilio suo, de excerptendo Speculo Saxonico, huius  
 in foro patrio auctoritatem ita alligauerint, vt, quum illud exitu  
 caruerit, hanc quoque plane corrucere voluerint? quod quidem  
 negare nullus dubito. Nam primo statim intuitu apparet, or-  
 dinem, quo omnia iura, in Holfatia obtinentia, se inuicem ex-  
 cipere debeant, ibi constitui, quorum in numerum recententur  
 iura Saxonica. *Im Mangel einer beständigen rechtmässigen Gewohnheit  
 soll nach Sachsenrechten geurtheilt werden.* quae omnia iisdem verbis in  
*Ordinatione iudicii prouincialis de ao. MDLXXIII.* priuilegiis prouin-  
 cialibus conformia esse adferuntur. His igitur nulla in re mu-  
 tatis accedit haec clausula: *dergestalt wie wir deswegen dasjenige so der  
 Vernunft und Billigkeit conform, auch unsern Fürstenthumben am nützlich-  
 sten seyn wird, extrahirn und abfassen zu lassen im Werk begriffen sind.*  
 Quae si quid valere debent ad HARPPRECHTII argumentum,  
 huius vis quaerenda erit in vocabulo adiecto *dergestalt*, & in  
 verborum structura, quum verba illa *geurtheilt werden* omnibus  
 his postponantur. Sed vocabulum *dergestalt* non referendum  
 esse ad modum iudicandi secundum Speculum Saxonicum, quasi  
 illum restringat, luce clarius perspicitur tam ex vocabulo *des-  
 wegen*, quam ex verbis subsequentiis. Illa vocula enim om-  
 nino ita explicanda est: quia ius Saxonicum vi iuris in foro  
 gaudet, multa autem illi immixta sunt, quae cum rationi &  
 aequitati, tum conditioni principatum nostrorum minus con-  
 gruunt, ideo, quo vsus illius magis expediat, vtilia & rationi  
 conformia colligere, & in compendium redacta publici iuris fa-  
 cere intendimus; quasi ita expressa essent verba: *So wie wir des-  
 wegen.* Verba sequentia autem: *wäre aber derselbe Fall, darauf ge-  
 sprochen werden soll, darin nicht enthalten, so soll, als in casu omisso der  
 disposition gemeiner beschriebenen Rechten gefolget und die Vrtheil darauf ge-  
 gründet werden,* manifeste non referenda sunt ad futuram illam  
epito-



epitomen iuris Saxonici, sed potius ad ipsum Speculum, ita, vt recte & plane in rem nostram dixisse videatur *VOGTIVS*, speculum Saxonicum iudicandi normam esse debere, donec compendium illud confectum fuerit, quod huc vsque desiderari constet. Tantum igitur abest, vt ordinationi iudicii prouincialis antiquae hac adiecta clausula derogatum sit, vt potius sollempniter sit confirmata. Quae porro vir Illustris, vt vim moniti Ordinum de ao. MDCX. infringeret, profert de incertitudine iuris, propter quam Ordines tantum arripuissent Speculum Saxonicum, tam ex constitutionibus antiquis, in quibus auctoritas iuris Saxonici ad priuilegia eorum refertur, quam ex ipso reuisionis actu <sup>d)</sup> refelluntur; quibus quoque obuiam itur temerario, quod videtur, asserto, quod principes, neque Speculo Saxonico, neque iuri Electorali, vim legis tribui voluissent. Reuifores enim ita monuerunt: <sup>e)</sup> *Dasß in decessione nicht den nouellis constitutionibus Augusti sondern dem alten Sachsenrechte zu folgen, wie imgleichen Ritter- und Landschaft in dero Bedenken de ao. MDCX. gehorsambst erföhnet, cuius moniti vt copiam ipsi facerent postulanti Regi f)* responderunt: *Gehorsahme Praelaten, Ritter- und Landschaft thuen hiemit auch unterthänigst unterthänig erinnern, nachdem das alte Sachsenrecht der Landgerichts Ordnung Tit. III. P. II. mit einverleibet, und besonders  $\S$  pro cautela gesetzt, daß nach dahmablig üblichen Sachsenrechte gesprochen werden solte, bevorab weiln auch die nouellae Constitutiones nicht allezeit dieser Oerter, weil sie saß jährlich anderwertige Interpretationes und Additamenta nehmen, kundig, Ewr. Koenigl. Majestät und Fürstl. Gnaden dieselbe dabey gnädig und gnädigst lassen wolten. g)* Ex quibus videre est, Ordines pro valore Speculi Saxonici omnibus contendisse viribus, ne vel sibi eripiat, vel aliis iuribus permifceatur. Cum his igitur si comparamus

monita

d) de quo cf. DE CRONHELM Historischer Bericht &c. cap. XI. p. 172. sq.

e) Ibidem p. 210.

f) Ibidem p. 225. So begehren I. M.

dasß das Bedenken de anno 1610 copenlich communicirt werde.

g) Ibidem p. 231.



monita de ao. MDCX., omne tollitur dubium, quin ordines re vera hoc iure uti voluerint, nec adest anceps ille animus, quem HARRPRECHTIVS in illis deprehendere sibi videtur; nec vlla ratione asseri potest, legis conditores vtrique iuri Saxonico auctoritatem denegasse, quum, monitis Ordinum probatis, Speculum Saxonicum in numerum legum patriarum retulerint.

## CAP. II.

DE ALIENATIONE BONORVM AVITORVM ABSQVE  
HAEREDVM CONSENSV EX SPECVLO SAXONICO  
NVLLA.

## §. I.

GENERALIS BONORVM IN SPECVLO SAXONICO  
OBVIORVM DIVISIO.

Antequam ad definiendam bonorum auitorum naturam accedamus, lustremus varia bonorum genera, quorum in Speculo Saxónico mentio fit, ut tamen ad ea tantum mentem attendamus, quae fini nostro proxime inseruiunt, & ad euitandas omnes vocabulorum ambiguitates summe necessaria nobis videntur. Egregie magna insuper in hac re erit utilitas, quum, illius ope munitis, nobis patata sit via ad cognoscendum, quas regulas potissimum in illorum distinctione veteres obseruarint, quibus argumentis innixi diuersa iura illis tribuerint, quare varias bonorum formas sub iisdem denominationibus comprehenderint, quamuis propria nomina singulis non deessent. His enim neglectis, res ipsae mira caligine obductae, iuraque haud raro maxime incerta reddita sunt. Accedit & hoc, quo maxime ad suscipiendum hunc laborem impulsus sumus, quod hac demum ratione per-

C

spicia-



spiciatur, quae noua subinde bonorum genera ex mutata rei publicae forma recentioribus legibus efficta sint. a) Vniuersalis autem haec fere stabiliri poterit regula, quod veteres Germani in omni bonorum distinctione ad conditionem imperii sui ubique respexerint, neque vllam admiserint bonorum genus, cui non iura quaedam singularia, eximii in re publica momenti, inhaeserint. quarum rerum diligentio-rem exhibebimus probationem, vbi de bonorum haereditariorum origine differemus. Prima autem & quam latissime patens bonorum diuisio, quam in speculo Saxonico inuenire licet, est in *feuda & allodia*. Adeo insignia enim institutum feudale in Germania cepit incrementa, vt vniuersa fere Germanorum gens in duas partes diuidi posset, quarum vna dominio feudali directo subesset, altera vero bonis suis proprio iure frueretur. Accommodatissimae ad hanc rem igitur sunt denominationes Germanicae, quum illa bona, quorum domini alii cuidam ad seruitia praestanda tenebantur, *Lehn-gut*, haec vero, quae ab omni alterius dominio exclusae erant, *Eigen* b) vocarentur. Bona autem allodialia per naturam rei distinguuntur in *immobilia*, *Eigen*, quae vel aedificia, *stehend Eigen*, vel fundi, *liegend Eigen* c), esse possunt, & *mobilia*, *fabrende Haabe*.

a) Exempli loco esse potest bonorum in auita & haereditaria distributio, de qua deinde plura, item iuris Lubecensis distinctio bonorum haereditariorum in mobilia & immobilia. Vide declarationem authenticam Amolissimi Senatus Lubecensis de 27. April. 1754, quam exhibet Consul-tissimus BVNECKAV in bibliotheca iuris Lubecensis p. 65. not. 5., cuius rationem hanc afferit ANGELMANN in *diss. de herede ab intestato per consensum in testamentum imperfectum bona hereditaria non alienante*. Sect. 2. §. 13. quod bonorum immobilium praecemuentia per florentiorem

frequentioreque mercaturam insigniter sit imminuta.

b) I. P. S. Lib. 1. art. 9. *wer dem andern gelobt ein eigen zu übergeben — wer auch dem andern verdinget, oder verkauft sein Gut, das Leben ist. art. 34. welcher Mann einem Herrn sein eigen Gut giebet, und er ihm das hernach wieder zu einem Leben leibet. art. 41. Klagt eine Jungfrau oder Witwe zu Landrecht ueber ihren Vormunden, daß er sie entweldige ihres Eigens oder Lebens. add. Lib. 2. art. 2. Lib. 3. art. 75. item 2. F. 29.*

c) Glossa ad Weichbild art. 21. *Ir solt wissen, das eigen zweierley ist, stehend*



be. d) Diuifio quidem haec primo intuitu nil prae se ferre videtur, quod ad rem publicam Germanicam in specie pertineat, quum eadem illa omnibus aliis populis communis fit: sed curatius eam considerantem non latebit Germanorum etiam hac in re grauitas. Ipsa enim denominatio *Eigen*; quatenus allodiis immobilibus κατ' ἐξοχην tribuitur, non solum feudorum indolem insigniter demonstrat, sed etiam ipsis immobilibus hanc vindicat praecminentiam, quod haec demum in feuda & allodia discernantur, e) posthabitis plane in hac distinctione mobilibus, quorum naturam ipso nomine veteres indicarunt. Cui si addimus antiquam bonorum immobilium conditionem militarem, & ius imperantis, quod adhuc hodie per resignationem iudicalem ex iure Saxonico in illa exercetur, nemo amplius negabit, distinctionem illam maximi esse momenti. Nec minoris est rerum immobilium in aedificia & fundos diuifio, quippe cuius ratio non tam quaerenda est in naturali harum rerum discrimine quam

C 2

und Liegend eigen, vt Land. li. 1. art. 29., da der text spricht, (An eigen und an buße 1), Dasselb rürt herr Ecke, das zweiterley eigen sind, mit dem das er spricht (Eigen), damit meiner ecker, das heisset wir liegend eigen), damit das er spricht, bußen, damit mein er stehend eigen, als heuser.

d) I. P. S. Lib. 1. art. 9. Wer dem andern gelobt ein eigen zu uebergeben vor Gerichte, und dieser sein Silber und Geld, oder ander sein Gut darauf giebt, stirbt dann der, ehe ihm die Gabe besterigt wird, man soll es seinem Erben lassen, als man es ihm solt gethan haben; also doch, daß der Erbe jenem solches, so hintersteltig wäre, vollends vergelte. Dasselbig soll man auch thun umb ein jeglich farende Habe. art. 31. Mann und Weib haben nicht geuweiter Guts zu ihrem Leibe: Stirbt

aber das Weib bey des Mannes Leben, sie erbet keine farende Habe, dann allein Gerod und eigen, als sie das hat an ihren nehesten — — — Darum mog kein Weib ihrem Mann eine Gab geben, in ihrer eigen oder an ihrer farende Haal. add. Lib. 2. art. 41. Lib. 3. art. 83.

e) Innumera huius rei exempla nobis praebet Speculum Saxonicum, quorum luculentissimum est art. 9. Lib. 7. modo in not. b) & d) exscriptus, vbi tria haec inueniuntur bonorum genera. Caeteri quoque articuli in not. (b) nominati idem declarant. Quo tamen magis argumentum nostrum stabilitur, addere placet alia, vide sis art. 5. Lib. 2., vbi denominatio eigen immobilibus expresse tribuitur, nem Lib. 3. art. 61. & 80.



quam in iurium diuersitate & discrepantia, hic conspicua, ratione dominorum. Alia enim iura producit dominium aedificiorum, alia dominium fundorum seu praediorum. Quod quidem vt rectius perspiciatur, monendum erit, nos non intelligere aedificia fundo priuato imposita, quatenus tanquam accessorium fundi, cui ipsi nomen *mans* dant a *mansione* seu habitatione *s*), in proprietate domini ipsius areae sunt, sed aedificia, quae sola, & per se considerata, sunt in priuatorum dominio, veluti quae in fundo publico constituta sunt, vel, licet fundo priuato infint, domino tamen a proprietario fundi diuerso gaudent. Quamuis enim in vtramque hanc bonorum immobilium speciem summus in ciuitate iura quaedam sibi vindicet, aedificiorum tamen non tanta habita est ratio, quanta fundorum, quum ex his instrueretur militia, non ex illis. Quam ob rem praecipuam quoque bonorum immobilium diuisionem in *bona haereditaria, Erbe, Erbgut, Erbeigen, Eigen, & acquisita, wohlgeuonnen Gut*, fundis potissimum a maioribus applicari videmus, *et* vt etiam, fundos bonis haereditariis primam tribuisse originem, ex sequentibus patebit.

§. II.

f) G. L. BOEHMER (vir ob singularem doctrinam omnibus, ob praestita officia mihi nunquam non venerandus) de iuribus ex statu militari Germanorum pendens cap. i. §. 4. p. 11.

g) Gloss. ad *Ius feud. Sax. c. 54. Eigen* ist zweyerley, eins heist stehend Eigen als Heuser und Vorwerk — — Das ander heist Erbeigen. Wann stirbt ein Gut an uns, und erbt auf unsere Kinder, so heist es erbeigen. Ipsa haec bonorum diuisio in haereditaria & acquisita fundata est in *art. 43. Lib. 2. I. P. S.* vbi haec verba in fine: *Erbeigens Recht mag auch ein Mann haß behalten an einem Gut, dann ein ander eins kaufft oder einer gaben Recht daran behalten mag, vel secundum veterem textum, qui ipsas res ex eo denominat, quod in verbis ante adductis iuris in iis esse dicitur: Erfeigen moock ein Man bealden hat, dan en ander gekoft eygen oder gegeben.*



## §. II.

BONIS HAEREDITARIIS DENOMINATIO EIGEN  
IN SPECIE TRIBUITVR.

Aboluta, quantum ad rem nostram pertinet, bonorum diuisione, pauca hoc loco inferemus, quibus probetur, bonis haereditariis in sensu specialissimo tribui denominationem *Eigen*. Vti enim bona allodialia in genere ob plenum & indiuisum proprietatis ius, domino in illa competens, deinde immobilia in specie ob praestantiorum illorum naturam hoc nomine insigniebantur: sic denique bona haereditaria, iis praecipue temporibus, quibus, accedente lege, quae alienationem eorum ad confensum haeredom adstringebat, genti seu familiae mancipabantur, hanc merebantur denominationem. Primus autem huius rei testis esto documentum apud IOH. FRID. SCHANNATVM <sup>a)</sup>, vbi haec verba: *Bertholdus cum consensu filii donat ecclesiam in Tunchhusen cum mansis mancipiis ad ipsum iure haereditario seu proprietatis peruenitibus*. Similes etiam formulae existant apud MEICHELBECKIVM <sup>b)</sup> *tam de proprio, quam de acquisitione; propriae haereditatis, vel acquisitionis quicquid habere videtur; propriam haereditatem atque emticam*. Cuius denominationis ratio magis eo stabilitur, quod ipsum nomen *alodii* in sensu strictissimo bonis haereditariis tribui videamus. <sup>c)</sup> Quare haec illius inuenitur definitio: *naturaliter alodium est praedium ab antiquo nullam reddens consuetudinem, eidemque a progeni-*

C 3

<sup>a)</sup> in vindemiis literariis. N. 30. p. 124.  
<sup>b)</sup> in historia Frisingensi T. 1. P. 2. Nis. 140. 169. & 194. n. 428. 440. 454. quicquid propriae hereditatis aut acquisitionum praesenti tempore habere visum fuit.

<sup>c)</sup> HERTIVS de feudis oblatiis P. 1. §. 2.

P. 2. §. 11. Vol. 1. opusc. T. 2. Vox *alodium* apud Francos primis temporibus *κατ' ἐξοχην* de bonis auriis dicebatur, & bonis acquisitis, siue comparatis, vix non minus propriis, opponebatur. Idem de notitia regni Franc. veter. Cap. 3. §. 57. Vol. 2. opusc.



progenitoribus iure haereditario contingens. <sup>d)</sup> Quibus conueniunt rubra tit. LXII. Legis Salicae, & tit. LVI. Legum Ripuariarum de alode, vbi in nigro de hereditate auistica sermo est. Saepius tamen, vt allodia haereditaria a bonis acquisitis discernantur, vocabulum quoddam adiectum reperimus. Sic apud SCHANNATVM <sup>e)</sup> est formula: de allodio parentum, vel de quolibet alio acquisito. MARCVLFVS <sup>f)</sup> quoque bona distinguit in illa, quae aut munere regio, aut de alode parentum, vel vnde cunq; tenentur. Maxime autem vsum denominationis Eigen, quem diximus, testatur antiquissima consuetudo allodia appellandi propria, quoties bona haereditaria indigitari debent. Sic in Lege Baiuuariorum <sup>g)</sup> haec occurrunt: De his, qui propriam alodem vendunt, vel quascunq; res, et ab emtore alter abstrahere voluerit — — — Iste vero dicit: non ita, sed mei antecessores tenuerunt, et mihi in alodem reliquerunt. Item decretum TASSILONIS <sup>h)</sup> haec habet: De his, qui supra dictis homicidiis debita morte in furto reperti sunt, vt, si quis de huius interfecti parentela cum, qui suo scelere captus est, vindicare tentauit, a propria alode alienus efficiatur. Suffragatur quoque recentius hoc documentum <sup>i)</sup>: Igitur — — — notum esse volumus — — — qualiter nobilis quidam Tidricus de Quernworde — — — pro salute anime suae, et parentum, et ceterorum carorum suorum quaedam praedia, quae inferius subscripta sunt, de propriis allodiis suis, assentientibus fauentibus heredibus, seruitio Dei deuote deputans. Probata

<sup>d)</sup> in tabulario Vindocinensi in charta an. cl<sup>o</sup> LXXVIII. & a CCXCI. Add. MARCVLFVS Formul. Lib. 2. c. 6. & 7. tam de alode, aut de comparatu, vel de quoli et adtracto.

<sup>e)</sup> in traditionibus Fuldensibus N. 63. n. 365. Quicquid ibidem de alode parentum, & quolibet ex causa ad me noscitur peruenisse.

<sup>f)</sup> Formular. Lib. 1. c. 2. 12. & 33. Lib. 2. c. 12.

<sup>g)</sup> Tit. 17. cap. 2. ap. GEORGISCH in corp. iur. Germ. p. 317.

<sup>h)</sup> n. XVI. ap. GEORGISCH p. 331.

<sup>i)</sup> quod exstat apud PETRVM DE LVDEWIG in reliquiis Mss. T. 1. p. 1.



bata igitur hac communi loquendi ratione, mirum videri non poterit, eandem quoque vſitatam fuiſſe iurium Saxoniorum compilatori. 1) *Ohne des Richters Vrlaub mag ein Mann ſein Eigen wohl vergeben mit der Erben Gunſt.* item *Ohne der Erben Laub, und ohne Gericht mag kein Mann ſein eigen Gut, noch ſeine Leute vergeben.* <sup>m)</sup>

§. III.

QVAE SINT BONA HAEREDITARIA SEV AVITA?

Iam ipſam bonorum haereditariorum naturam diligentius indagemus neceſſe eſt. Triplicem autem vocis *Erve* ſignificatum nobis indicauit s. v. DREYER <sup>a)</sup>, vir de antiquitatum Germanicarum ſtudio meritiſſimus, quorum quem ille ſecundo loco attulit, hic, ſalua re noſtra, omittere poterimus, quum omnia immobilia, tam acquiſita, quam haereditaria, completatur, neque ſucceſſionis titulum requirat, ſed abſque vſo reſpectu ad anteriores poſſeſſores, aut titulum & modum acquiſendi, immobilibus per ſe tribuatur. Reliquorum duorum autem

1) I. P. §. Lib. 1. art. 34. & 52.  
<sup>m)</sup> cf. I. H. BOEHMERI I. E. P. Lib. 4. Tit. 20. §. 78. Tom. 4. p. 484.  
 Idem in diſſ. de fundamento retractus duplicis in agris Hambugenſium uſitati cap. 1. §. 11. IO. CAR. HENR. DREYER de reſtriſta facultate alienandi bona hereditaria ad hereditaria mobilia non pertinente §. 7. IO. FERDIN. GVIL. BRANDT de natura bonorum auitorum, vulgo Stammgüter, iure Germanico in dominio minus pleno conſiſtente, atque inde ſumenda interpretatione in fideicommiſſis familiae. Cap. 1. §. 15—19. IO. GOTTL. BVDER de iuris retractus gentilitii in Germania origine. §. 15. ſqq. FRID. ESAIAE PV-

FENDORFII *Obſ. iur. vniuerſi.* Tom. 4. obſ. 69. §. 6. 7.

a) in diſſ. modo laudata §. 5. nota g. Triplicem ſenſum in legibus Germanorum — — tueri animaduertimus 70 *Erve* — — Primus ſignificatus generaliſſimus eſt, & complexum vniuerſorum bonorum, mobilium pariter, & immobilium, denorat — — Secundum ſignificatum dico vulgarem, ſ. latiore, ſ. a poſteriori, qui cuiuſcunque generis immobilia, ſ. haereditario iure delata, ſ. acquiſita ſibi vindicant. — — Vltimum denique ſignificatum 78 *Erve* — — ſtrictiore dico & iuridicum, praedicandum de bonis haereditario iure delatis.



tem prior genus constituit, posterior speciem, & in hoc vno conueniunt, quod bona iure successionis deferantur. Generalis enim ille significatus omnia continet bona, quae a defuncto relicta sunt, tam mobilia, quam immobilia, solis exceptis feudis *b)*, specialis vero bona immobilia iure successionis *c)* delata *d)*. Nomen igitur *haereditatis* s. *Erue* quamuis tribus illis significatibus commune sit, illa tamen, de quibus iam monuimus, nomina, scilicet: *Erbgut*, *Erbeigen*, *Eigen*, s. *alodium*, *proprietas*, *bona haereditaria seu auita*, non nisi posteriori speciei applicentur, quum de bonis successione delatis sermo sit. Quare ad bonorum haereditariorum indolem haec duo certe requiruntur: vt sint bona immobilia feudali nexu exempta; deinde vt iure successionis sint delata. Quum autem, nec ipsis quidem veterum legum Germanicarum temporibus, ius succedendi, vt olim, ex mera sanguinis proximitate oriretur, sed ex pactis, & postea, quum irrepserit ius romanum, ex testamentis quam facillime descenderet, bona immobilia vero ita translata in sensu proprio

*b)* I. P. S. Lib. 1. art. 5. in f. Mit welchem Gut der Mann erstirbet, das heisset alles Erbe, es sey dann Leben. art. 51. Ein rechtlos Mann mag wohl ein ehelich Weib nehmen, und Kinder mit ihr gewinnen, die ihr ebenbürtig seynd. Dieselben moegen auch wol sein Erb nehmen — — Kein ehelich Mann, noch ehelich Weib nimt eines Mannes Erb, der unrechte Ehe hat. SCHANNATVS in tradit. Fuldens. a. 756. n. IV. hereditatem meam — — id est domibus, aedificiis — — cultum seu incultum, mobilibus & immobilibus.

*c)* Non temere iure successionis diximus; haereditario iure enim bona immobilia deferri quoque dicuntur per alienationem, si venditor vel donator illa iure successionis adeptus

est. cf. Lex Baiuvariorum tit. 17. cap. 2. vbi haec verba: cur inuadere conaris territorium, quod ego iuste iure hereditatis donavi.

*d)* Quibus duo alii, quasi mediis, intercedunt significatus: primus, quo vocabulum *Erue* comprehendit bona mobilia & immobilia acquisita, in oppositione bonorum haereditariorum, quae vocantur *Eigen*, vt in art. 5. cit. Der Pfaff nimt gleichen Theil — — den Brüdern an *Eigen* und *Erb*: aliter, vbi immobilia in genere a defuncto relicta sub voce *Erue* intelligenda sunt & opponuntur mobilibus. I. P. S. Lib. 1. art. 6. Wer das Erb nimt, der sol zu Rechte die Schuld gelten, als ferne das Erb wäret mit der fahrenden Haab.



proprio & speciali ad bona haereditaria referri nequeant, haec duo sunt adicienda: vt ex nexu consanguinitatis, & ab intestato deferantur. *Bona haereditaria* igitur, de quibus in hac dissertatione nobis sermo erit, sunt *bona allodialia immobilia, iure successione ab intestato, ex nexu consanguinitatis descendente, ad praesentem possessorem delata.* Quibus bonis vtrum nomen auctorum tribui queat, dubium videri potest, quod ipsa verbi etymologia bona haec ab auo, seu a remotioribus maioribus descendere doceat. Sed diuersa temporum habenda erit ratio. Apud veteres enim Germanos nullum aliud reperitur bonorum haereditariorum nomen, nisi *alode, alode propria, allodia auita, hereditas auitica*; posteriori autem aeuo, vt & tempore Speculi Saxonici, & proximis saeculis post, promiscue adhibentur bonorum haereditariorum & auctorum denominationes, quamuis haec bona nonnunquam a glossatoribus <sup>e)</sup> nomine quidem, non tamen iure, a se inuicem separata inueniamus. Quae iuridice, vt ita loquar, spectata eorum similitudo, & promiscuus vsus durasse videtur vsque ad annum MDLXXII., quo AVGVSTVS, Elector Saxoniae, ea tantum bona ad auita referenda esse iussit, quae ab auo & maioribus descenderent. <sup>f)</sup> Quae cum ita sint, vtramque deno-

D

mina-

<sup>e)</sup> *Glossa ad cap. 54. I. F. S. Wann* stirbt ein Gut an uns, und erbt auff unsere Kinder, so heist es erbeigen. Stirbt denn das Gut an unsers Kindeskind, so heist es ein anerstorben Erbe. Stirbt es denn ihre Kinder fort an, so heist es ein Stamerbe. Promiscue adhibetur vocabulum *Stamque* in sententia quadam, editio- ni *Weichbildi & iuris feudalis Saxonici*, quae Lipsiae 1571. fol. prodit, adiecta, vbi haec verba: *So aber solche Güter Stamgüter gewest, und also bestimpten alten mannu von seinem vater, oder al- ttern zukommen.* add. I. H. BOEH-

MER de praerogativa hypothecarum pu- blicarum cap. 2. §. 2. *Bona haereditaria, seu antiqua, appellata sunt ab antiquo Stamm und Erb gütter, quod appella- tio Stamm consanguineos designat, qui a communi stirpe originem trahunt, ab Stamm en, qua de causa etiam schema genealogicum Stammbaum vocatur.* Quod itaque semel per viam haereditatis, aut iure successione legitimae, translatum fuerat, in illud haereditibus legitimis ius quaesitum erat.

<sup>f)</sup> Vide sis *Lus Sax. Elect. P. 2. Con- stit. 12. Weil dieser Text, (scilicet art. 52.*



minationem iungendi non tantum ius nobis est, verum quoque, vt hoc faciamus, necessitas quaedam nos adigit, quum in interpretando speculo Saxonico versetur, vbi nulla bonorum haereditariorum & auitorum adest diuersitas. Praeclare insuper ad hanc rem accommodari potest satis cognita Germanorum pauperomia: *Was ein mal in den Erbgang gekommen, muß darin bleiben; seu bona semel per successionem delata iisdem gaudere iuribus, ac si innumeris vicibus eandem retinuerint conditionem.*

\*) Non incongruum videtur, hoc loco ad Romanos paullulum diuertere, penes quos bonorum genus, a bonis Germanorum haereditariis parum discrepans, nomine *haeredii* celebratum, reperimus; cuius originem ita exponit M. VARRO *de re rustica Lib. I. cap. X.* "Antiquus noster (as), inquit, ante bellum Punicum pendebat, *hina ingera*, quod a Romulo primum diuisa dicebantur *viritim*, quae, quod *haeredem* sequerentur, *haeredium* appellauit. NONIVS MARCELLVS *de proprietate sermonum. cap. I. §. 303. vid. DIONYS. GOTHOFREDI auctores linguae latinae p. 517.* Romulus enim, occiso fratre Remo, agros, quos ab avo Numitore acceperant ambo fratres, DIONYS. HALICARN. *Ant. Rom. Lib. I. c. LXXXVIII.* inter populum diuidebat, retento, quantum fanis & templis sufficeret, & quadam parte, quae esset iuris publici. *Idem. Lib. II. c. VII.* Qualem diuisionem postea, tam sub regibus, quam sub libera republica, tum ad pauperiorum inopiam subleuandam, vt de Tullo Hostilio narrat DIONYS. HALIC. *Lib. III. cap. I.* tum victis hostibus in ciuitatem receptis, saepius iteratam esse memorant rei Romanae scriptores. Haec autem praedia *viritim* diuisa, quod *haeredem* sequerentur, *haeredia* nominata sunt. Ita enim FESTVS *de verborum significatione ap. GOTHOFRED. l. c. p. 296.*  
*haerer*

Lib. 1. I. P. S.) *saget, daß ohne der Erben Erlaub, keiner seine eigene (das ist, wie es gemeinlich verstanden wird, Erb) Stammgüter vergeben könne, so ist zu wissen, daß Stammgüter solche Güter seynd, welche der Donator nicht selbst acquiriret, oder erlangt, sondern die von seinen Vorfahren, als Großvater und dergleichen, gewonnen, und von densel-*

*bigen ihren Ursprung haben. Const. 31. — — daß unter den Stammgütern diese verstanden werden, die nicht von Eltern alleine, sondern von Großeltern herkommen. Ex quibus apparet, vsque ad hoc tempus bona immobilia, per successionem semel deuoluta, ad bona auita relata esse.*



*haeredium esse dicit praedium parvulum, & COLVMELLA de re rustica in praef. p. 6. (edit. Lugdun. de ao. 1545.) Quintium Cincinnatum, refert, fascibus depositis, ad iuuenos & quatuor iugerum autum haerediolum rediisse; vii M. Porcium Catonem adolescentulum, priusquam honoribus operam daret, versatum esse in Sabinis, quod ibi haeredium a patre relictum habebat, docet CORNELIUS NEPOS in Catone cap. 1. Optime autem, quid haeredium vel haerediolum sit, declarant haec AVSONII verba eidyll. III.*

*Salve haerediolum, maiorum regna meorum,  
 Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.  
 Quod mihi iam senior, properata morte, relinquit,  
 Eheu! nolueram tam cito posse frui.  
 Iusta quidem series, patri succedere: verum,  
 Esse simul dominos, gratior ordo piis.*

In ipsis quoque XII. tabulis haeredii mentionem factam esse testatur PLINIVS maior in *Hist. Nat. Lib. XIX. cap. III.* his verbis: "In XII. tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper, in significatione ea hortus: in horti vero haeredium. videtis tabulam VIII. in IAC. GOTHOFREDI fontibus quatuor iur. civ. in EVER. OTTONIS thes. iur. civ. T. III., & penes IAN. VINCENT. GRAVINAM in originibus iuris civilis p. 470. edit. Lipsi. de ao. 1708. Nec AVLLI GELLII temporibus hoc praediorum genus ignotum fuit, qui Noct. Attic. Lib. XIX. cap. VII. haec habet: In agro Vaticano Iulius Paulus, poeta, vir bonus, & rerum, litterarumque veterum impenso doctus, haerediolum tenue possidebat. eo saepe nos ad sese vocabat. Cavendum autem est, ne cum haeredio commisceamus agros, quos haereditarios dixerunt Romani, quorum diversam plane fuisse indolem docet PLINIVS iunior Lib. VII. ep. XI., quum praedia, quae non ex parentum haereditate, sed extrinsecus haereditatis titulo obveniunt, hoc nomine essent. In principio epistolae enim: *Miraris, inquit, quod Hermes libertus meus haereditarios agros, quos ego iusseram proscribi, non expectata auctione, pro meo quincunce ex septingentis millibus Corellinae addiderit; causamque, quare ita egerit libertus, hanc addit: Haec, scil. Corellia, quum proxime istic fui, indicavit mihi, cupere se aliquid circa Larium nostrum possidere: ego illi ex praediis meis, quod vellet, & quanti vellet, obruli, exceptis paternis maternisque, quae aliis dicuntur haeredia: his enim cedere ne Corellinae quidem possum. Igitur quum obvenisset mihi haereditas, in qua praedia ista, scripsi, ei venalia furura.*



Neque tamen sola haec haeredium & bona haereditaria Germanica inuenitur comparandi ratio, quod fuerint praedia a parentibus, vel maioribus profecta, sed etiam, haeredium Romanorum olim sumptibus militiae inferuisse, palam est. Antiquissimis enim temporibus milites stipendia non meruisse, docet LIVIUS Lib. IV. Historiar. c. LIX. "Additum deinde," inquit, scilicet circiter A. V. C. CCCXLIX., maxime tempestiuo principum in multitudine munere, ut, ante mentionem ullam plebis, tribunorumque, decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Quae posteriora verba in rem nostram explicat DIONYSIUS HALICARN., quum non solum, Lib. III. c. XIX., agris in certos pagos a Servio Tullio diuisis, magistratus unicuique pago praepositos esse memoret, qui, quoties opus esset, rusticos ad arma vocare, aut tributa virorum exigere, milites contraherent & colligerent pecunias, quae pro fortunarum censu imperabantur, diuisa multitudine in CXCIII. centurias, Idem Lib. III. c. XXIII.; sed etiam, Lib. VIII. cap. LXXXV., Appii Claudii, qui diuisioni agrorum inter plebem, ex lege agraria faciundae, aduersabatur, hanc proferat sententiam: se agrum publicum, partim vendendum, partim in quinquennium locandum, & quicquid pecuniae ex iis locationibus proveniret, in militum stipendia impendendum consulere, quo refrigescat illa agri virorum diuidendi cupiditas, ubi intellexerim, utilitorem esse communem eius cum caeteris possessionem, quam in exiguas portiunculas, virorum assignandas, diuisionem, & satius ipsis esse, quoties eundem erit in militia, ex publico frumentum atque stipendium accipere, quam e suis promptuariis in aerarium conferre. Quae similitudinis haeredii, & bonorum haereditariorum Germanicorum, vltior disquisitio autem ne nos nimis moretur, quum hic etiam quaestio moueri possit de condominio, quod AVSONIUS loco laudato agnoscere videtur, deque haeredii alienatione, vtrum ex verbis VARONIS, illud haeredem sequi, interdicta esse videatur? & quae reliqua; haec indicasse sufficiat.



§. III.

TEMPORE IVLII CAESARIS ET C. TACITI BONA  
HAEREDITARIA GERMANIS NONDVV  
FVERVNT COGNITA.

Ex illa, quam modo ex legibus & monumentis antiquis deriuauimus, bonorum haereditariorum definitione perspicuum est, in sensu iuris Germanici antiqui & medii non dari bona haereditaria, nisi immobilia. Quare merito asserendum erit, vbi non sunt bona immobilia in dominio priuatorum, ibi nec cogitari licere bona haereditaria Germanica. Antiquissimis autem temporibus apud Germanos <sup>a)</sup> bona immobilia non fuisse in priuatorum dominio, quotquot exstant, istius aevi scriptores aperte testantur. Omnia enim tum temporis praedia, omnes agri, tam culti, quam inculti, magistratus imperio suberant, nec vlli vnquam erat concessum, vt proprio iure illa possideret. Nam cuncta, prout rei publicae expedire videbatur, consilii eorum, quos rebus suis praeesse voluerat populus, gubernata leguntur; omnia, quae vel expugnauerant, vel deserta occupauerant loca, in dominio ciuitatis, seu omnium omnino ciuium fuerunt, vt nec singuli, nec gens aliqua arrogare sibi quaedam potuerit, quum quae communi omnium studio parta essent, etiam omnibus cedere iustum censerent. <sup>b)</sup> Ideoque nec quisquam agri modum certum aut fines proprios habuit, neque potuit habere.

D 3

<sup>a)</sup> Quilibet videbit, Germanorum denominatione omnes nos intelligere populos, qui communi hoc nomine vulgo comprehendi solent. Nil enim ad nos pertinet, quae viri doctissimi de Germanorum gente quadam singulari monuerunt, quum generalis huius nominis vsus iam pri-

dem multorum insignium virorum exemplo fit approbatus.

<sup>b)</sup> CAESAR de bello Gall. Lib. 4. cap. 1. Sueuorum gens est longe maxima & bellicossissima Germanorum omnium — — — priuari ac separari agri apud eos nihil est: neque longius anno remanere in vno loco incolendi causa licet.



habere, quum commune omnium ius dominium singulorum respueret; *sed magistratus, ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui vna coierant; ergo non singulis tantum familiis, nexu sanguinis inter se iunctis, quantum eis, & quo loco visum est, attribuerunt agri c),* quem communibus viribus colerent, fructusque ex eo perciperent. Nullum autem agrorum dominium principes & magistratus iis concedere potuerunt, quum, quod vniuersae ciuitatis, quod omnium ciuium erat, singulis tribuere soli populo liceret, penes quem fuit maiestas, cuius iura exercebantur in comitiis. *Agri igitur pro numero cultorum occupabantur ex magistratus praescripto, quos mox inter se secundum dignationem partiebantur. d)* Ne autem, assidua consuetudine capti, studium belli gerendi agricultura commutarent; ne lutos fines parare studerent, potentioresque humiles possessionibus expellerent; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificarent; ne qua oriretur pecuniae cupiditas, anno post alio transire cogebantur, e) ita, vt vniuersi agros per vices occuparent, f) eoque magis vnicuique cognitum esset, se non priuatos, sed publicos colere agros. Nec magis aedificia bonorum haereditariorum naturam induere potuerunt, quum aut in specubus subterraneis, aut in siluis, ramis inuicem iunctis, umbraculum quoddam efficientibus, quae aedificia ne nominari quidem poterant, aut in tuguriis, informi quadam materia exstructis, caemento non ligatis, habitarent, & raro inuenirentur domus e lapide coctisque lateribus constantes. g) Et si quam maxime ad

e) CAESAR de bello Gall. Lib. 6. cap. 22.

d) TACITVS de morib. Germ. c. 26.

e) CAESAR l. c.

f) TACITVS l. c.

g) HERODIANVS Histor. Lib. 7. c. 2.

p. m. 292. Λιδων μεν γαρ παρ αυτοις (Γερμανοις) η πλινθαν οπιων σπανις.

υλαι δ' ευ δειδρον, οδενζυλων εστις εκτενειαις, συμπηγουντες αυτα και αρμοζοντες, σηκροποιουντου; quae paullo aliter, ac ego, ita vertit ANGELVS POLITIANVS: rara apud Germanos structura e lapide ac lateribus coctilibus: densisque porius syluis, quorum confixis coagmentatisque lignis, quaedam



ad immobilia referre quis velit qualiacunque haec aedificia, haereditaria tamen ea dicere nullo iure poterit, quum, relicto fundo, haec quoque, tanquam pars illius, relinquenda essent <sup>b)</sup>, iusque, quo possiderentur, vsusfructus potius speciem, quam dominii, prae se ferret. Migrantibus autem, praeter instrumenta domestica, quippe quae, teste STRABONE <sup>d)</sup>, carris imposita secum transportabant, & pecorum armenta, nihil relinquebatur. Quum igitur TACITVS <sup>h)</sup> nos doceat: haeredes, successoresque esse suos cuique liberos, si liberi non sunt, proximum gradum in possessione, <sup>m)</sup> fratres, patruos, auunculos, haec non, nisi de successione in vsufructum fundi, & in mobilia, intelligenda esse patet. Adfuit autem

quasi tabernacula aedificant. TACITVS de morib. Germ. cap. 16. Ne caementorum quidem apud illos, aut regularum vsus; materia ad omnia vruntur in formi, & citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinum terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitentur. Solent & subterraneos specus aperire. cf. EGGARD de origine Germanorum Lib. 1. §. 46. 47. CLUVERI Germania antiqua. Lib. 1. cap. 13.

<sup>b)</sup> Sic BYDERVS de origine iuris retractus gentilitii §. 12. nota n. aedificia veterum Germanorum quidem ad res immobiles refert, sed haereditaria illa fuisse negat.

<sup>i)</sup> de situ orbis Lib. 7. p. m. 581.

<sup>l)</sup> de morib. Germ. c. 20. in f.

<sup>m)</sup> Non statim liquet, quid sibi velint verba: proximus gradus in possessione; ideo breuibus hoc explicare nobis sumamus. Possessio Romanis non fuit fundus, siue ager, sed vsus quidam agri, aut aedificii, vti docet FESTVS, voce possessio. Quum igitur ex anterioribus perspicuum sit, magistratum & principes, quantum illis

visum sit, dedisse agri colendi gentibus cognationibusque, quae vna coierant; ex eo cogitur, inter has viguisse ius quoddam compossessionis, i. e. communis vsus; quod iuxta TACITVM quidem non vniuersale permansit, quum mox secundum dignationem agros partirentur. Singularum tamen personarum & gentium compossessio, inter familias tantum, substituisse videtur. Mortuo igitur aliquo, succedebant illi, primum liberi, deinde, qui proximo consanguinitatis gradu cum illo iuncti erant compossessores. Quamuis enim ipsa compossessio vnicuique, qui huius vsusfructus particeps erat, ius dederit succedendi in partem derelictam, Germani tamen, prolijs suae omniumque consanguineorum amantissimi, sanguinis proximitate omne ius succedentium metiebantur, tacito omnium consensu. Ius succedendi ergo non tam compossessione, quam consanguinitate nitebatur, gradusque proximitate.



autem species quaedam bonorum mobilium haereditario, seu potius familiae iure affectorum, *iuncti* scilicet *boves, frenatus equus, & scutum cum framca gladioque*, quae maritus uxori in dotem obtulerat, *ut illa liberis inuiolata, ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.* <sup>n)</sup> Data autem sunt haec in laborum periculorumque communitatis signum, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque uxorem. En sanctissimum illud bonorum conservandorum principium, militiam! quae con-  
functa cum iure sanguinis apud veteres Germanos praecipuus iuit rerum acquirendarum titulus, ita tamen, ut nonnunquam inter eodem sanguine iunctos eximior belli virtus praecipuo iure gauderet. <sup>o)</sup>

## §. V.

POTESTATE REGIA CRESCENTE BONORVM IMMOBILIUM PROPRIETAS AD PRIVATOS TRANSIISSE VIDETVR.

Quo vero primam priuati bonorum immobilium dominiū originem, quantum ob vetustatis tenebras fieri poterit, curatius exponere valeamus, praemonenda quaedam erunt de ipsa supremi Germanorum imperii institutione. Docuit autem celeberrimus GEBAVERVS, <sup>a)</sup> omnem Germaniam ab origine gentis reges suos habuisse, horum tamen potestatem non adeo infinitam fuisse, quamvis quidam eorum adductius regnarent aliis, <sup>1)</sup> ut

<sup>n)</sup> TACITVS de morib. Germ. c. 18.  
<sup>o)</sup> Exemplum est apud Tencteros, qui super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellebant. De quibus TACITVS de morib. Germ. c. 32. haec narrat: inter familiam, & penates, & iura successionum equi fradantur. excipit filius, non, ut cetera, ma-

simus natu, sed prout ferox bello & melior.

<sup>a)</sup> in vestigiis iuris Germanici antiquissimis diff. Ima, de regio apud Germanos nomine, & diff. IIda, de regia apud Germanos potestate.

<sup>b)</sup> TACITVS de moribus. Germ. cap. 43. Trans Lygios Gorbones regnauerunt,



vt libertati Germanorum noceret. Maiestas enim erat penes  
 vniuersum populum, in cuius comitiis *rex audiebatur auctoritate  
 suadendi magis, quam iubendi potestate.* <sup>c)</sup> In bellis autem geren-  
 dis praecipua eorum fuit gloria, quamuis ne in his quidem ar-  
 bitrarium & graue exercerent imperium. Principes enim pro  
 victoria pugnabant, comites pro principe; & spolia hostibus  
 adempta cedebant duci, vel principi, a cuius liberalitate nobiles  
 plerumque exigebant bellatorem equum, cruentam victricem-  
 que frameam; caeteris autem epulae, & quanquam incompti,  
 largi tamen apparatus pro stipendio praebantur. In genere  
 sola regi enascebatur munificentiae materia per bella & raptus, <sup>d)</sup>  
 in agros autem tum temporis nulla alia ipsi competebat potestas,  
 nisi, adhibito magistratu, inter gentes illos distribuendi, quae  
 eosdem ad tempus cohererent. Succedente autem aeuo, quum  
 perpetuis fere bellis inuoluerentur Germani, quum auaritia, at-  
 que libido, relictis paludibus & solitudinibus suis, foecundissi-  
 mum aliorum solum possidendi, animos illorum incederet,  
 quum gloria principis & ducis ob multa ab illo fortiter gesta in  
 diem cresceret, imperiumque illius militare perenne quasi fie-  
 ret, ita, vt de quieto rerum suarum usufructu penitus detine-  
 rentur Germani, orta est victori principi consuetudo, terrae  
 deuictae partem inter suos diuidendi, alteram partem sibi ipsi  
 & reipublicae reseruandi. quae omnia potissimum ab anno  
 CCCXCV. vsque ad annum CCCCLXXXVI., quo scilicet emi-  
 grationis gentium Germanicarum tempus ponitur, <sup>e)</sup> euenisse  
 E viden-

paulo iam adductius, quam caeterae Germa-  
 norum gentes, nondum tamen supra liber-  
 tatem, cap. 7. Nec regibus insinua aut li-  
 bera potestas; & duces exemplo potius,  
 quam imperio, si prompti, si conspicui:  
 si ante aciem agant, admiratione praesunt.

c) Idem l. c. cap. XI.

d) TACITVS de morib. Germ. c. 14.  
 GEBAYER *diff.* 2da cit. p. 31. & 36. IOH.  
 PAUL. HANE de vario apud Germanos  
 militiae statu (*Altorf.* 1748.) p. 3.

e) IOH. STEPH. PÜTTERI (quo  
 doctore me usum esse, nunquam poe-  
 nitebit.) *Grundriß der Staatsverände-*



videntur. f) Quamdiu enim cum vicinis populis, variis quidem nominibus distinctis, communi tamen Germanorum appellatione iunctis, pugnabant, aut a peregrinis sua ipsorum terra inuadebatur, quorum plurima exempla CAESAR & TACITVS, qui iidem terrarum dominium omnibus commune testantur, praebuerunt: tamdiu ab hac via deflexisse non videntur, saltem id, deficientibus huius rei documentis, non tam facile suspicari licet, quam quum, terra veteri derelicta, in regiones exterorum irumperent, moribusque & terris eorum delectati, sedes perpetuas sibi quaerent, & continuis belli turbis vnus imperio magis affueti, terras expugnatas eodem iure censerent, quo olim praedas ab hostibus captas, quarum libera dispositio penes principem vel ducem fuerat. Ex qua diuisione autem originem ceperunt *sortes Salicae, Romanae, Gothicae, Burgundicae*, caeterae, quarum natura a veteri Germanorum rei publicae ratione eatenus quidem non abhorrebat, quod singulis praediorum possessoribus militandi necessitatem imponeret, g) quum antea, suomet

*rungen des Teutschen Reichs* s. 12 sqq. GE. I. V. D. BOEHMER de statu militari veterum Germanorum cap. 1. §. 4.

f) PAUL. WARNEFRIDVS de gestis Longobardorum Lib. 5. cap. 24. p. 300. edit. LINDENBROG. Erat quidem Grimoaldo contra Romanos non mediocri odium - - - Quam ob causam Opitergium ciuitatem - - - funditus destruxit, eorumque, qui aderant, fines Forooulianus Taruisinisque & Cenerensibus diuisit. PROCOPIVS lib. 1. belli Goth. cap. 1. Erat Barbarorum vnus, Odoacer nomine - - - qui - - - tertia agrorum parte distributa, barbaros eo beneficio ita sibi deuinxit, ut decem per annos imperium teneret. Idem l. c. Iniuria subditorum quemquam nec affecit Theodoricus, nec affici ab aliis sine

bat, demto, quod partem agrorum, quam Odoacri milites possederant, inrer se Gothi partiti sunt. Lex Burgundionum tit. 54. Licet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum terriam & duas terrarum partes accepit, eiusmodi a nobis fuerit emissa praecipio, ut, quicumque agrum cum mancipiis seu parentum nostrorum, sine largitate nostra ceperat, nec mancipiorum terriam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata, requireret. tit. 55. n. 2. - - - Sane, si ex eiusdem agri finibus, quem Barbarus ex integro cum mancipiis publica largitione ceperat, fuerit contentio generata. ap. GEORG. p. 379. & 381.

g) G. L. BOEHMER l. c.



met ipso ingenio ducti, ex nexu subiectionis, ceu membra ciuitatis, militiae operam darent. <sup>b)</sup> Ita rex *Ostrogothorum Theodoricus* Gothos ad militiam euocat, *vt ad expeditionem more solito, armis, equis, rebusque omnibus necessariis sufficienter instructi moueant.* <sup>i)</sup> Sic tributa illis remittit, ne quis *beneficium publica largitate collatum, seu patrioticas possessiones, iudicibus vendere necessitate cogatur.* <sup>l)</sup> Plane igitur mutatam videmus status publici & bonorum naturam; adsunt bona immobilia, quorum dominium singulis competit; cessat vetus illa compossessio, quae singulorum respuebat proprietatem; oritur insignis illa differentia, per quam fundi publici a fundis priuatorum distinguuntur; aluntur reges non amplius collationibus subditorum, <sup>m)</sup> sed, vt ipsorum subditi, agros proprios habent, a fundis publicis diuerfos; deletur & penitus euertitur vetus illa rei publicae ratio, quae vetabat, ne anno amplius in vno loco morarentur gentes cognationesque hominum, quae vna coierant; aliam plane naturam induit belli gerendi ratio, &, vt paucis dicamus, plane recens enascitur Germanorum res publica priuataque. Ex his igitur patent, quae in principio huius capituli monuimus, distinctionem bonorum ab antiquis Germanis factam summi respectu rei publicae momenti esse; patet quoque, nunc demum rite moueri posse quaestionem: quae antiquissimis temporibus dicta fuerint bona haereditaria? quum nunc demum iure asseri possit, bona immobilia iure successionis ad alios esse delata; nunc demum definiri, vtrum alienari potuerint, nec ne? nunc demum inquiri, quae singularium, quibus recentiori adeo tempore praedita

E 2

dita

<sup>b)</sup> Idem l. c. §. 3.

<sup>i)</sup> CASSIODORVS *variar. lib. 1. c. 24.*
<sup>l)</sup> Idem *variar. lib. 12. c. 5.*
<sup>m)</sup> quod olim ita obseruatum meminit TACITVS *de moribus Germ. c. 14.*
*Mos est ciuitatibus vltro ac vtrixim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subuenit.*



dita fuerunt, inriūm praecipua & vera causa fuerit? ex quo fonte orta, ac qua ratione, casu, an consilio? stabilita, aucta, vel diminuta sint? Quae omnia, quamuis grauissima sint, perferuari, libelli fines haud permittunt. Quare sufficiat, vt prima tantum harum rerum elementa tangamus, explicatisque vetustissimorum Germanorum legibus pontem quasi exstruamus, quo ab illis ad consuetudines in speculo Saxonico consignatas haud impedito pede progredi liceat.

## §. VI.

SORTES IVRE SVCCSSIONIS EVASERVNT BONA  
HAEREDITARIA, ET IN SINGVLORVM  
DOMINIO EXSTITERVNT.

Demonstratum igitur est, qua ratione bonorum immobiliū proprietās ad priuatos transiisse videatur, nunc naturam ipsius illorum dominiū inspiciamus necesse erit. Secundum ea autem, quae diximus, tuto nos affirmare posse videmur, bona immobilia, quae in veterum Germanorum legibus sub nomine *alode*, iure successionis in priuatos translata, occurrunt, per modum diuisionis portionum terrae deuictae primum ad priuatos transiisse, id est, illa respectu originis sortes fuisse. Fuit igitur, quantum ad ipsum priuatorum dominiū in se spectatum attinet, sortium & alodum vna eademque natura, nec civitati plus iuris in ipsa praedia, quae forres constituerunt, quam in alodes competiit, quum eadem illa praedia hoc nomine alodum tantum insignita sint, postquam per successionem in alios possessores translata fuerint. Quodsi ergo constet, alodes in dominiū priuatorum fuisse, idem de sortibus affirmandum erit. Prius autem manifesto apparet ex *CAROLI M. capitularibus*,<sup>a)</sup> quibus

a) Lib. III. c. 19. *Auātrum habemines, qui nostra beneficia habere videmur, qualiter & Comites, & alii bo-*



quibus beneficia regia mutari in proprietates, & alodem sibi inde comparare beneficiarios, queritur. Ortum enim erat apud Francos singulare, & a fortibus probe secernendum, bonorum genus, quod nomine beneficii, & praecipue beneficii regii, insigniebatur. Quodnam autem inter haec bonorum genera intercesserit discrimen, his verbis indicat Imperator: *quia, qui hoc faciunt, scilicet proprietates ex beneficiis acquirere student, non bene custodiunt fidem, quam nobis promissam habent.* Nam fides promissa haec erat, vt pro concesso sibi iure praediis hisce vtendi fruendi seruitia militaria praestarent; <sup>b)</sup> hanc ergo violabant, dum ius vtendi fruendi in proprietatem conuerterent. Militaris enim obligatio vtrique bonorum generi, tam alodibus, quam beneficiis, aequo fere iure adhaerebat, nisi quod in primis beneficiarii *omnes*, ne vno quidem excepto, militiae interesse tenerentur, pauperiores autem sortium & alodum domini excusarentur, si ad alium, quantum opes eorum valerent, instruendum conferrent. <sup>c)</sup> Aperte igitur liquet. fortes & alodes in proprietate

E 3

priua-

de ipso nostro beneficio, & faciunt seruire ad ipsas proprietates seruitutes nostros de eorum beneficio, & curres nostrae remanent deserrae, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur.

c. 20. Audiuimus, quod aliqui reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietate, & in ipso placito, dato pretio, comparant ipsas res iterum sibi in alodem, quod omnino cauendum est: quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt fidem, quam nobis promissam habent. ap. GEOR-

GISCH. p. 1350.

<sup>b)</sup> G. I. BOEHMERI *Observationes iuris feudalis. obs. 2. de fendis ex veterum Francorum beneficiis enatis. §. 2.* In strictiori significato beneficium est ius vtendi fruendi praedio pro officio concessum.

<sup>c)</sup> *Capitulare de ao. 807. cap. 1.* In primis quicumque beneficia habere videntur, omnes in hostem veniant. cap. 2. Quicumque liber mansos quingue de proprietate habere videtur, similiter in hostem veniat. Et qui quatuor mansos habet, similiter faciat. Qui tres habere videtur, similiter agat. Vbicunque autem inuenti fuerint duo, quorum vnusquisque duos mansos habere videtur, vnus alium praeparare faciat; & qui melius ex ipsis potuerit, in hostem veniat. Et vbi inuenti fuerint duo, quorum vnus habeat duos mansos, & alter habeat vnum mansum, similiter se sociare faciant, & vnus alterum praeparet; & qui melius potuerit, in hostem veniat. Vbicunque autem tres fuerint inuenti, quorum vnusquisque mansum



priuatorum fuisse, ideoque distingui a beneficiis, quod horum possessores solo usufructu gauderent, proprietas vero penes civitatem vel regem esset. Priuatum autem hoc sortium & alodum dominium non, vt olim agrorum usufructus, gentibus cognationibusque commune erat, sed, diuisione ad placitum <sup>d)</sup> facta, portionem accipiebant, nisi quidam confortes esse mallet. Nam Germanorum animi, peregrinorum exemplis corrupti, proprias inhiare coeperunt opes, ac, soluta vniuersi populi bonorum communiōe, nec priuati illam curarunt, & ne rei publicae quidem commodis ab alienatione eorum bonorum detineri potuerunt, quae leges posteris sancte seruari iuebant. Tantum igitur abest, vt condominium bonorum in locum pristinae compossessionis successerit, vt potius contrariae illorum conditionis expressa extant documenta. Nonne enim ex ipsa militiae instructione, a CAROLO M. facta, cogi potest, sortes & alodes non fuisse familiae communes, quum singulos homines liberos ad militandum euocet, neque vllam familiae, aut agnatorum mentionem faciat? Non enim liberorum hominum familiam, sed *quemcunque liberum*, qui mansos quinque *proprio iure habet*, ad militiam praestandam obligat; non duas familias, quae duos mansos possideant, sed *duos homines liberos*, quorum *vnusquisque* duos mansos habere videatur, militiae vindicat. Quibus si addimus liberam tum temporis alodum alienationem,

de

vnum habeat, duo tertium praeparare faciunt; ex quibus qui melius potest in hostem veniat. Illi vero, qui dimidios mansos habent, quinque sextum praeparare iuciant. Et qui sic pauper inuentus fuerit, qui nec mancipia, nec propriam possessionem terrarum habeant, tamen in pretio valente quinque solidos, quinque sextum praeparant; & ubi duo, tertium de illis, qui paruas possessiones de terra habere viden-

tur. Et unicuique ex ipsis, qui in hostem pergunt, fiant coniectari solidi quinque a supra scriptis pauperioribus, qui nullam possessionem habere videntur in terra. ap. GEORG. p. 733. § 19.

d) Lex Wisigotorum. Lib. X. tit. 1. cap. 5. Qui placitum diuisionis irrupit, & quamlibet partem alienae portionis inuaserit, tantum de suo, quantum de alieno occupauit, amittat. add. cap. 2. § 8.



de condominio ne cogitari quidem poterit. Ob stare tamen vi-  
dentur *leges Baiuuariorum et Burgundionum*, quae diuisionem  
quandam inter patrem & filios celebrandam memorant, non sor-  
tes solum, sed etiam omnia alia bona concernentem. Neque fa-  
ne diffitemur, *leges Burgundionum* communionis quandam spe-  
ciem agnoscere, non vero respectu totius familiae, nec omnium  
agnatorum, sed tantum inter patrem & liberos, hoc quidem ef-  
fectu, vt dimidium substantiae patris portionem filiis & filiabus  
debitam agnoscerent. quare, viuente patre, diuisio fieri potuit, ita  
tamen, vt de reliquis bonis pater libere disponere posset, sicuti  
etiam filiis & filiabus de bonis, quae ipsis per diuisionem obtin-  
gebant, eadem libera disponendi potestas concessa erat. e) Sor-  
te vero diuisa inter patrem & filios, &, horum vno praemortuo  
sine posteris, pater omnes filii facultates iure vsusfructus sibi  
vindi-

e) *Lex Baiuuariorum tit. 1. cap. 1. Si quis liber persona voluerit, & dederit res suas ad ecclesiam pro redemptione animae suae, licentiam habeat de portione sua, postquam cum filiis partiuit. Lex Burgundionum tit. 51. n. 1. Quamlibet haec in populo nostro antiquitus fuerint obseruata, vt pater cum filiis propriam substantiam aequo iure diuideret; tamen, emissã iam pridem lege, custodiri huiusmodi ordinem iussimus, &, patrum utilitatibus consulentes, adiecimus, vt ex eo, quod in portione patris veniebat, faciendi, quod voluisset, haberet liberam potestatem. Sed quia in nostra nuper discepratione praclarauit, Athilam quendam & antiquae constitutionis seriem praeteriisse, & saluberrimae legis praeciprionibus resultasse, nec debitam filio tradiisse portionem, & ita facultatem suam per inlicitos scripturarum titulos ad alias transfuisse personas, vt nihil exinde ad filium voluerit pertinere - - - ex lege iussimus non valere, omnemque eius substantiam fi-*

*lio addiximus possidendam. - - - Idcirco saluo eo, quod in huiusmodi negotiis promulgata dudum lege praecipimus, quisque patrum filiis competentes substantiae non tradiderit portiones, nihil in contrarium per scripturam in praecindicium faciat filiorum: aut, si fecerit, nullius poterit esse momenti. n. 11. Illud tamen huiusmodi legis vigore placuit diffiniri, vt filius de portione, quam acceperit, faciendi, quod voluerit, liberum potestatur arbitrium. ap. GEORG. p. 255. 374. sq. Ibid. tit. 14. n. VII. Hoc his (scil. filiabus) tantum censuimus esse praestandum, (vt alienandi facultatem non habeant) quibus patres suas iam non dederint portiones: quod si a patre, ubi viuere possint, perceperint, ex hoc ipso, quod voluerint, faciendi liberam habeant potestatem. Ibid. tit. 24. n. V. Si quis Burgundio filios habet, tradita filiis portione, de eo, quod sibi reseruauit, donare aut vendere cui voluerit habeat liberam potestatem. ap. GEORG. p. 351. & 358.*



vindicabat; cui postea defuncto succedebant filii & nepotes, illi tamen in capita, hi vero in stirpes. f) Haec de *Burgundionibus*, in quorum legibus explicandis si difficiles esse vellemus, omnem bonorum communionem inter illos obtinuisse negaremus, quum per se portio quaedam bonorum, quamvis dimidia sit, ex legum praescripto liberis relinquenda, nullo modo communionem innuat, & soluta hac parte dimidia, tanquam aere alieno, leges Burgundionum patri liberam bonorum, quaecunque postea illi obuenerint, alienandorum potestatem concedant. Quae autem apud *Bainuarios* obuenerit, diuisio ne speciem quidem communionis bonorum prae se ferre potest, quum huius in sola traditione *omnium* bonorum ad ecclesiam mentionem factam reperimus, quae ob plenariam liberorum exhaeredationem inuisa fuisse videtur, vti etiam docent *capitularia regum Francorum*, & maxime quum hac ratione bona quoque vsui publico plane eximerentur; id quod clausulae illae de non reuocando indigitare videntur. Concesso igitur illo *Burgundionum* more, cuius luculenta inuenimus documenta, quid inde affirmari poterit pro asserenda eadem omnium Germaniae populorum consuetudine, quum in caeterorum legibus ne verbum quidem de hac

f) *Lex Burgundionum tit. 78. ap. GEORG. p. 390.* - - Si pater cum filiis sortem suam diuiserit, & postea mori filium viuo patre contigerit sine filiis, pater facturum filii integram usufructuario iure vindicet portionem: quam inter filios & nepotes ita moriens dimittat, vt, quanti nepotes ex vno filio fuerint, qui patrem non habent, portionem patris sui vindicent, qualem pater eorum habiturus erat. Illam vero partem, quam pater cum filiis diuidendam habuisset, superstitionibus filiis derelinquat, & nepotes in eam partem non succedant. Praesens tamen lex ad masculos

tantum pertinebit. Sic apud *Wisigothos* quoque consortes reperimus, quae autem communitio non necessaria erat, sed ab arbitrio cuiusque pendebat, neque familiae adstricta. vid. *Lib. 2. legis Wisigothorum de diuisionibus & temporibus atque limitibus. ap. GEORG. p. 2125. sqq.*

g) de anno 816. n. VII. Statutum est, vt nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere praesumat, quarum liberi & propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exhaereditari. ap. *GEORG. p. 815.*



haec diuisione reperire liceat? Nil potius nos impedit, quo minus, inhaerentes illi a Carolo M. ad singulos terrarum possessores conceptae legi, affirmemus, apud omnium Germanorum gentes, quae bonorum condomini mentionem expressam non faciunt, singulos fortium possessores earum fuisse solitarios dominos. Multo minus autem condominium tanquam fons iuris succedendi apud veteres Germanos poni poterit, quum ne olim quidem compossessio hos produceret effectus, sed, posthabita illa, ius sanguinis attenderetur, cui virtus militaris interdum ius potius addebat. Itaque perspicuum est: sortes fuisse praedia, quae ad singulos priuatos iure domini pertinerunt, & per successionem, in iure sanguinis fundatam, in alods abierunt.

§. VII.

DIVISIO BONORVM IMMOBILIVM IN ANTIQVIS  
LEGIBVS OBVIA.

Quamuis autem circa sortes primum a pristina lege generali, possessores immobilium ab eorum dominio excludente, a veteribus recessum, in iisque ius succedendi, quo in alods conuerterentur, agnitum sit, ex eo tamen cogi nequit, illas necessario posteris relinquendas fuisse. Vnde enim illae querebrae de *nimia facilitate*, qua distraherentur sortes <sup>a)</sup>? vnde illae publicarum venditionum formulae <sup>b)</sup>? nisi alienatio fortis olim fuisset licita? Idem quoque docet ratio bonorum, subsequenti- bus temporibus ex emtione, aut iure donationis, a priuatis acquiritorum, quippe quae respectu primi acquirentis sortes fuisse dubitari non potest. Vniuersum enim hoc genus bonorum ne co-

F

gitari

a) Lex Burgundionum tit. 84. Quia cognouimus, Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrahere. ap. GEORG. p. 393.

b) Lex Baiuvariorum Tit. 17. c. 2. ap. GEORG. p. 317.



gitari quidem poterat, nisi fortes alienari potuissent, quia, si rem a prima origine repetis, omnia bona immobilia in priuatum dominio existentia fortes erant. Sortes autem pro vario illo titulo, quo ad alterum transferebantur, secundum Leges veterum Germanorum diuersam induerunt naturam, nec idem nomen retinuerunt. Nam fortis nomen non nisi bonis immobilibus tribuitur, quousque penes primum possessorem existunt, cui ex publica largitione obuenerunt. <sup>e)</sup> quare etiam *terrae fortis titulo acquisitae* <sup>d)</sup>, *terrae fortis iure possessae* <sup>e)</sup> dicuntur, uti & sub generali terrarum nomine veniunt. <sup>f)</sup> Mortuo autem primo illo possessore, fors relicta, antequam ad haeredem peruenit, *haereditas defuncti* vocatur <sup>g)</sup>, quamobrem, ubi de successione & alienatione sermo est, nomen *haereditatis patris, haereditatis suae* pro sorte adhiberi solet. Simulac vero haeres titulo successione illam acquisiuit, dicitur *alode, alode propria, terra auia:ica.* <sup>h)</sup> Nil autem est, quod nobis persuadeat, solas fortes, successione titulo delatas, his insigniri nominibus, quum etiam bona immobilia acquisita eodem modo transferri possent, nec quidquam obftet, quo minus idem nomen his per successionem

<sup>e)</sup> Lex Burgundionum Tit. 34. §. tit. 79.  
<sup>d)</sup> Ibid. tit. 1. - - & de labore suo cuiuslibet donare liceat, absque terra fortis titulo acquisita. ap. GEORG. p. 341.  
<sup>e)</sup> Ibid. tit. 14. n. V. - - hoc est de ea tantum terra, quam pater eius fortis iure possidens mortis tempore dereliquit.  
<sup>f)</sup> Ibid. tit. 34., cuius rubrum est de venditione terrarum. Quia cognouimus, Burgundiones fortes suas nimia facilitate distrabere, hoc praesenti lege credidimus statuendum, ut nulli vendere terram suam liceat - - Hoc etiam interdictum, ut quisque habens alibi terram vendendi necessitatem habet.

<sup>g)</sup> Lex Burgundionum tit. 14. n. V. De his vero puellis, quae se Deo vouerint & in castitate permanserint, si una duos fratres habuerit, tertiam iubemus ut portionem de hereditate patris accipiat, hoc est, de ea tantum terra, quam pater eius fortis iure possidens mortis tempore dereliquit. Add. Lex Angliorum & We-rinorum tit. 6. Lex Saxonum tit. 15. n. 11. & tit. 17. ap. GEORG. p. 484. & 463.  
<sup>h)</sup> uti aperte docet Lex Salica tit. 62. n. VI. ubi in initio: De terra vero Salica in mulierem nulla portio hereditatis transit, & postea: Sed ubi inter nepotes aut pronepotes post longum tempus de alode terrae contentio suscitatur.



sionem delatis tribuatur. Ex eo autem perspicua est distinctio  
 inter sortem proprie sic dictam & terram auiaticam, seu alodem.  
 Quamuis enim respectu primi possessoris bona immobilia quae-  
 cunque vnius eiusdemque originis fuerint, non tamen amplius  
 sortes, seu terrae sortis titulo acquisitae, dici potuerunt, quum  
 ad praesentem possessorem titulo successionis deuenierint, & ad  
 anteriorem etiam venditionis, vel donationis titulo peruenisse  
 potuerint. Duo igitur praecipua videntur bonorum immobi-  
 lium genera, alterum sortium, alterum bonorum haereditario-  
 rum, quibus accessit tertium genus eorum, quae recentiorum  
 tempore sub nomine bonorum acquisite veniunt. <sup>i)</sup> Licet  
 enim non semper definiri possit, quo loco leges de hisce bonis  
 loquantur, quum voces, terra, ager, possessio, huic generi cum  
 sorte communes sint, negari tamen nequit, illam apud veteres  
 Germanos exstitisse bonorum speciem, quum venditionis & do-  
 nationis bonorum immobilium tam frequens mentio fiat, & pa-  
 rum a vero abesse videmur, si *possessio*, seu *possessiunculae* deno-  
 minatione in iis propriam fuisse putamus, quando nulla his ver-  
 bis adiecta est vocula, quae ad sortem vel aloden ea referenda  
 esse doceat. Sic in *lege Ripuariorum* <sup>l)</sup> haec inuenimus: *Si quis*  
*villam, aut vineam, vel quamlibet possessiunculam ab alio comparauit.*  
 item haec in *lege Baiuuariorum* <sup>m)</sup> *Si quis vendiderit possessionem*  
*sua alicui, terram cultam, non cultam, prata, vel siluas.* Cui diuisioni  
 quodammodo congruere videtur *lex Burgundionum*, quae omnia  
 bona patris cuiusdam familias sub triplici denominatione *com-*  
*munis facultatis, laboris sui, & terrae sortis titulo acquisitae* comprehen-  
 dit. <sup>n)</sup> Quid in genere facultas communis sibi velit, nulli fere  
 F 2 dubi-

<sup>i)</sup> In legibus antiquis illa tantum  
 bona singulari *acquiretorum* nomine  
 insigniuntur, quae, durante matrimo-  
 nio, a marito & vxore simul *conquisita*

sunt. *Lex Saxonum tit. 9. ap. GEORG. p. 461.*

<sup>l)</sup> *tit. 60. ap. GEORG. p. 173.*

<sup>m)</sup> *tit. 15. c. 2. ap. GEORG. p. 310.*

<sup>n)</sup> *tit. 1. - - decreuimus, ut patri*



dubitationi subiacer, quum ex anterioribus appareat, apud Burgundiones inter patrem & liberos viguisse quandam bonorum communionis speciem. Quare duplex huius rei explicandae ratio datur: prima, vt sint bona communi labore acquisita; altera, vt ad patrem per successionem sint delata, vel per diuisionem ab auo factam. Si quid vero coniecturae dandum, vltimum bonorum genus hoc loco intelligendum esse censemus. Quod enim ad ipsam communionem attinet, non filii solum, sed etiam filiae eodem communi iure gaudebant, quum tamen in his non facile locus esse posset laboris cum patre communis, nec vllibi reciprocae communionis mentio fiat, sed potius dimidium illud bonorum tanquam portio legitima, seu lege debita, spectetur. Cui accedit, eadem hac lege patri concessam esse donationem facultatis communis, quae nullo modo locum habere posset in bonis communi labore acquisitis, quorum aequalis potestas, ex aequali iure oriens, patri & liberis competeret. Quum autem tam mobilia, quam immobilia, complectatur, latius patet haec denominatio, quam bonorum haereditariorum. Laboris autem nomine, quamuis barbare, satis perspicue tamen denotantur ea, quae pater sua ipsius industria acquisiuit. Quare huc referenda sunt omnia, quae ex agri cultura illi obuenerunt, pecunia ex venditione quarumcunque rerum acquisita, mobilia, & immobilia, suis sumptibus comparata, & id genus alia. Immobilia enim sub hoc genere bonorum comprehenduntur, satis apposite nos docet *lex Baiuvariorum* <sup>o</sup>), vbi in vindicatione agri

etiam, antequam diuidat, de communi facultate & de labore suo cuiilibet donare liceat, absque terra sortis titulo acquisita. ap. *cor. p. 341.*

<sup>o</sup>) tit. 16. cap. 1. n. 11. Si autem sum voluerit vindicare illum agrum, aut pratum, vel exartum, vel vnde illa contentio est,

taliter vindicet. Iuret cum sex sacramentalibus, & dicat: Ego tua opera priora non inuasi contra legem, nec cum sex solidis componere debeo, nec exire, quia mea opera & labor prior hic est quam tuus. Tunc dicat ille, qui quaerit: Ego habeo testes, qui hoc sciunt, quod



agri, aut prati, omne momentum ponitur in eo, vt probetur, cuius opera & labor prior sit.

## §. VIII.

## EFFECTVS HVIVS DIVISIONIS BONORVM

## I) RATIONE SVCCESIONIS.

Seiunctis his bonorum generibus ex mente legum veterum, inquiramus oportet in varia eorum iura, & modos, quibus acquiruntur. Duo autem, dum de bonis haereditariis agimus, praecipue ad rem nostram pertinent eorundem acquirendorum modi, quorum alter est successio, alter alienatio. De priori autem pauca dixisse sufficiet, quum plurima, quae ad hanc rem pertinent, supra iam tacta sint. Nam ex antecedentibus constat, ab antiquissimis inde temporibus ius sanguinis, & militiam, omnem constituisse successionis normam, quam utramque circa sortes coniunctam reperimus. Feminarum enim a successione in sortes exclusionem, quae ex lege Salica <sup>a)</sup> pariter, ac ex lege Anglorum et Werinorum <sup>b)</sup> obtinet, ex militiae ratione provenire, ipsa haec posterior lex aperte loquitur, dum successori in sortem tribuit quoque vestem bellicam <sup>c)</sup>. Neque tamen

F 3

apud

labores de isto campo semper ego tui, nemine contradicente exaravi, murdavi, possedi usque hodie, & pater meus reliquit mihi in possessione sua. Ille homo, qui hoc testificare voluerit, commarchanus eius debet esse, & debet habere sex solidorum pecuniam, & similem agrum. Tunc ille testis iuret taliter: Quia ego hoc meis auribus audiui, & oculis meis vidi, quod istius hominis priora opera fuerunt in isto agro, quam tu a, & labores fructuum ille tui. Post sacramentum redat agrum. ap. GEORG. p. 314.

a) tit. 62. n. VI. De terra vero Sali-

ca in mulierem nulla portio hereditatis transit, sed hoc virilis sexus acquirit, loc est, filii in ipsa hereditate succedunt. Sed ubi inter nepotes, aut pronepotes, post longum tempus, de alode terrae contentio suscitatur, non per stirpes, sed per capita dividantur. ap. GEORG. p. 12.

b) tit. 6. Hereditatem defuncti filius, non filia suscipiat. Si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paterna generationis consanguineum pertinet. ap. GEORG. p. 443.

c) l. c. n. V. Ad quemcunque heredi-



apud omnes omnino Germanos feminas plane a successione in sortem exclusas fuisse, docet *lex Burgundionum* <sup>d)</sup>, quae puellae sanctimoniali tertiam sortis portionem tribuit, si cum duobus fratribus concurrat. In bonis haereditariis, seu terris auiaticis, aut haereditate auiatica, quoque militia in successione sibi ius quoddam vindicauit, quod tamen minoris fuit momenti, quum, deficiente stirpe masculina, feminae succederent <sup>e)</sup>. Ad successione in bona acquisita autem admittebantur quidem feminae, non tamen aequo cum masculis iure. <sup>f)</sup> Haec vero successione differentiam, varia bonorum immobilium natura innixam, *lex Saxonum* <sup>g)</sup> antiqua plane ignorare videri poterat, dum ita disponit: *qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnes (omnis h)) haereditas pertineat.* Sed, quo minus haec de omni successione intelligantur, intercedit alius huius iuris locus <sup>i)</sup>, ubi haec: *qui filium ac filiam habuerit, & filius uxore ducta & filium genuerit, haereditas patris ad filium filii, id est, nepotem, non ad filiam transeat.* Quod si enim haereditas eodem sensu hic accipitur, quo in loco praecedenti, ita, ut vniuersa patris bona, tam mobilia, quam immobilia, complectatur, manifesta adest pugna, quae facile tollitur, si secundum saeculi genium sortem hic intelligendam esse supponamus. Suffragatur autem huic interpretationi non solum consuetudo aliorum populorum (§. VII.), inter quos numerandi quoque sunt *Angli*, quibus communem olim cum Saxonibus patriam fuisse nemo negauit; sed etiam ipsa

tas terrae peruenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, & ultio proximi & solutio leuadis debet pertinere. ap. GEORG. p. 449.

d) tit. 14. n. V. ap. GEORG. p. 351.

e) *Lex Ripuariorum* tit. 56. n. IV. Sed cum virilis sexus exstiterit, femina in

haereditatem auiaticam non succedat. ap. GEORG. p. 167.

f) IO. CAR. HENR. DREYER de inaequali masculorum & feminarum secundum iura Cimbrica successione. §. 6. sq.

g) tit. 7. n. V. ap. GEORG. p. 460.

h) Ita HEROLDVS & LINDENBROGIVS ediderunt.

i) l. c. n. VIII.



ipſa haec verba eandem tueri videntur, quum non, vt antea, haereditas ſimpliciter nominetur, ſed *haereditas patris*. Quae autem haereditas patris magis dici meretur, quam terra ſortis titulo acquiſita? Bona haereditaria enim hoc ſpeciali nomine inſigniri nuſquam reperimus, neque ita nominari poterunt, quum pater illam haereditatem ab auo acceperit, aut a maioribus, neque bona acquiſita hic intelligenda ſunt, quum ne apud vllam quidem Germanorum gentem hoc ſucceſſionis modo deferantur. Perſpicuum igitur, & ad indolem Germanorum, bellicoſiſſimaeque illorum nationis, Saxonum, vehementer accommodatum videtur, quod ſors, ſeu terra bello acquiſita, ſola illa ſit, quae, excluſo ſexu femineo, excluſis filiabus, ad nepotes tranſeat.

§. VIII.

2) RATIONE ALIENATIONIS.

a) PENES PLURIMOS GERMANORVM POPVLOS.

Tranſeamus iam ad celebrem illam, diu multumque agitatam quaestionem: vtrum bona haereditaria veterum Germanorum alienari potuerint? In qua quidem tractanda quum paululum recedam ab iis, quae viris doctiſſimis fere omnibus hodie placere video, non vereor, ne quis huius rei cauſa ſuccenſeat mihi, quaſi noua & plane inaudita proferre velim. Abhorret certe adeo mens mea ab inſulſa iſta & plane intolerabili arrogancia, vt potius, quantiuis pretii mihi foret aliorum aſſenſus, in hac re tamen inſigniter laetarer, & pulcrum mihi ducerem, ſi, quae hic proponam, qualiacunque dubiola, aduerſus communem opinionem, tanti quis aeſtimaturus eſſet vir doctus, vt iuuenem me rectiora doceret.

Iam quidem, quod ad *primam originem ſortium* attinet, earum aliena-





alienationem prohibitam non fuisse, ex ipsa bonorum immobilium, quae in legibus veterum Germanorum occurrit, diuisione, ex querelis de nimia *facilitate*, qua distraherentur sortes, & ex venditionum, quam produximus, formula, supra observauimus. Nunc vero ad *ipsas leges maiorum postea* conditas progrediamur, deque singulis bonorum immobilium generibus despiciamus, vt examinemus, vtrum hac in re secundum has leges quaedam inter sortes, & bona haereditaria, acquisitaue, intercedat discrepantia. Et si dicendum, quod res est, solam sortem, seu terram sortis titulo acquisitam, hoc iure, ne alienetur, legibus insignitam esse reperimus; neque tamen hoc in vniuersum, sed nonnisi apud tres, quantum mihi constat, illorum gentes obtinuit, de quibus postea. Primo loco autem hos nominabimus populos, qui omnia bona immobilia, sortes, alodes, & acquisita promiscue alienare consueuerunt. Penes *Francos* enim, seruatis sollempnibus consuetis, pro arbitrio *fortunam totam*, aut *mediam* dare licuit. <sup>a)</sup> Item apud *Anglos* <sup>b)</sup> *libero homini licuit haereditatem suam, cui voluerit tradere*. Idem ius fuit *Ripuariorum*, ita quidem, vt etiam ipsi haeredes instrumentum venditionis, seu donationis, quod a testibus adhibitis barbarum testamentum dixerunt, defendere, aut multam incurrere debuerint, <sup>c)</sup> & liberis non relictis, quilibet agnatorum vel cognatorum, qui vel vnum solidum ex haereditate accepisset, vel cui,

<sup>a)</sup> Lex Salica tit. 49. Hoc conuenit obseruare, vt Tunginus aut Centenarius Mallam indicent, & scutum in ipso Mallo habere debet, & postea tres homines tres causas demandare debent: postea in ipso Mallo requirant hominem, qui ei non pertinet, & sic fistucam in laisam iactet, & ipse, in cuius laisam fistucam iactauerit, dicat verbum de fortuna sua, quantum ei voluerit dare, aut si totam, aut si mediam fortunam suam cui voluerit dare. ap. GEORG. p. 99.

<sup>b)</sup> tit. 13. ap. GEORG. p. 452.

<sup>c)</sup> tit. 59. n. VI. Quod si venditor, vel heredes sui super vixerint, ipsi testamentum defendere debent, aut multam incurrere. n. VII. Quod de venditione conscripsimus, hoc & de donatione conscripsimus. ap. GEORG. p. 173.



cui, licet ex haereditate nil ad eum peruenerit, weregildus eius, caede facta, legitime obuenturus fuisset, id est, proximus consanguineus, facta defuncti praestare teneretur. *d)* Ex his ergo constat, liberam dedisse *Ripuarios* quoque, quaelibet bona, tam mobilia, quam immobilia, sine discrimine triplicis eorum differentiae, alienandi facultatem, siue filii adfuerint, siue minus. Solet quidem ex lege *Ripuariorum*, *e)* qua illi, qui filios, vel filias non habet, omnia bona, cui uoluerit, vel coniugi, vel proximis, vel extraneis, donandi licentia expresse conceditur, inferri, quod uiuentibus liberis alienatio patri fuerit interdicta; sed, quum in hac lege de licentia *omnes* facultates alienandi sermo sit, ideoque non excludatur ius, *uacdam* bona immobilia alienandi, etiamsi liberi adsint, omniumque bonorum alienationem ob plenariam exhaeredationem veteribus Germanis inuisam fuisse, supra (§. VI.) obseruatum sit, neque a moribus aliarum gentium haec constitutio abhorreat, uti mox clarius intelligetur, non uideo sane, quare recedendum sit ab iis, quae in legibus antea adductis manifeste continentur, & cum hac dispositione amice conspirant. Nec bonorum differentiam habitam esse inuenimus in lege *Alamannorum*, *f)* quae potius fratribus, diuisa haereditate paterna, alienationem simpliciter

## G

*d)* tit. 67. Si quis moriens debitosus, aut testamenta uenditionis, seu traditionis, aliqua fecerit, si filios, aut filias non reliquerit, quicumque de parentibus suis, quantum unus solidus ualet, in hereditatem accenerit, vel cui weregildus eius, si interfectus fuisset, legitime obueniebat, omne debitum per ipsum solum indicatur, & omne factum eius idoneare studeat, aut culpam incurrat. ap. GEORG. p. 177.

*e)* tit. 49. Si quis procreationem filiorum, vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in praesentia, regis, sine

uir mulieri, vel mulier uiro, seu cuiquamque liber de proximis, vel extraneis, adoptare in hereditatem, vel adfari per scripturarum seriem, seu per traditionem, & resibus adhibitis, secundum legem *Ripuarum* licentiam habeat. ap. GEORG. p. 165.

*f)* tit. 89. Si qui fratres post mortem patris eorum aliquanti fuerint, diuidant portionem patris eorum. Dum hoc non fuerit factum, nullus rem suam dissipare faciat, usque dum aequaliter partiant. ap. GEORG. p. 234.



citer concedit, vti etiam cuicumque libero omnes res suas, seque ipsum ecclesiae tradere permittit. g) His iungere licet leges *Baiuuariorum*, & *Longobardorum*, quorum illi, quamuis in traditione bonorum ecclesiae facienda pater cum filiis diuidere teneatur b), (§. VI.) ad aliam tamen qualemcunque alienationem, nisi chartam, vel testes requisierunt d), venditionemque alodum, testante venditionis formula l) saepe nominata, concesserunt; hi vero, scilicet *Longobardi* m), alienandi facultatem his tantum limitibus circumscripterunt, vt ne patri iniusta exhaeredatione in sanguinem suum saeuire liceret; quum caeteroquin ne aegrotanti quidem ius de bonis suis disponendi ademerint. n) Denique huc referenda est lex *Wisigothorum* o), quae quidem

g) tit. 1. Si quis liber res suas, vel semetipsum ad ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, nec vlla persona - - Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ad ecclesiam, vbi dare voluerit, firmitatem faciat - - Et proprietates de ipsis rebus ad ipsam ecclesiam in perpetuum permaneat. add. tit. 2. ap. GEORG. p. 195. sq.

b) tit. 1. Si quis liber persona voluerit, & dederit res suas ad ecclesiam, pro redemptione animae suae, licentiam habeat de portione sua, postquam cum filiis suis partivir. ap. GEORG. p. 255.

d) tit. 15. cap. 12. Quicquid vendiderit homo, aut comparauerit, qualemcunque rem, omnia sint firmata aut per chartas, aut per testes, qui hoc probare possint, hoc est, de mancipiis, de terra, castis, vel siluis, vt postea non sit conuentio. ap. GEORG. p. 313.

l) tit. 17. cap. 2. ap. GEORG. p. 317.

m) Rotbaris leges n. 168. Nulli liceat sine certa culpa filium suum exhaereditare,

nec, quod ei deberur, per legem alii thingare. ap. GEORG. p. 971. Luitprandi Leg. Lib. 6. n. XI. De eo praecipimus, qui filiam in casa habuerit in capillo, & filium non reliquerit legitimum, vt de rebus suis amplius per nullum ritulum cuicumque per donationem, aut pro anima sua facere possit, nisi partes duas; tertiam vero relinquat filiae suae, sicut gloriosissimus Rotbaris rex instituit. ap. GEORG. p. 1061.

n) Luitprandi leges Lib. 1. n. 6. Si quis liber Longobardus, vt habet casus humanae fragilitatis, aegrotauerit, quamquam in lectulo iaceat, potestatem habeat, dum viuit, & recte loqui poterit, pro anima sua iudicandi, vel disponendi de rebus suis, quomodo aut qualiter voluerit: & quod iudicauerit stabile debeat permanere. ap. GEORG. p. 1030.

o) Lex Wisigothorum Lib. 4. tit. 5. - - Plerique indifferete viuentes, suasque facultates interdum, vel causa luxuriae, vel cuiusdam malae voluntatis essensu, in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios, vel nepotes, aut non ex



quidem sortem, siue id, quod quis per principum auctoritatem percipere meruerit, a bonis propriis seiungit, illam liberae parentum dispositioni relinquens, horum vero tertiam partem filiis, vel nepotibus, & quintam piis causis mancipans, omnia bona tamen oim libere alienari potuisse docet, donec ob commodum ciuitatis, & pietatem a parentibus frequentius neglectam, alienationem restringere satius visum sit. Vides hic, humanissime Lector, quid animum a condominio illo abstraxerit! Non enim in isto, sed potius in innata maiorum in patriam & prolem pietate, huius legis rationem mihi inuenisse videor; neque satis mirari possum temperamentum, quod hac in re aequissima legislatione adhibuerunt veteres, quum ita patriae liberisque prospexerint, vt nec parentum dignitatem postponerent, nec patremfamilias omni iure proprio in bona spoliarent, quin potius ipsi darent facultatem, de illa quoque bonorum tertia, quae filiis & nepotibus relinquenda erat, horum nomine disponendi, istamque tertiam pro arbitrio, etiam inaequaliter, inter liberos distribuendi. P)

G 2

§. X.

gravi culpa forsitan obnoxios, inanes relinquunt, vt utilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum inunctum sibi laborem inexcusabiliter expiare. Sed, ne sub hac occasione aut utilitati publicae quandoque depercat, quod perire non debet; aut naturalis pietas suspendatur a filiis, vel nepotibus, quam circa eos excedere competenter oportet: ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, auus siue auia, in extraneam personam, facultatem conferre si voluissent, potestatem habent: --- ista magis seruetur a cunctis moderata censura, qua nec parentibus, nec auis adimatur iudicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios, aut nepotes a successione auorum, vel

genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur &c. --- Sed siue tertia rerum pars, quae meliorandis filiis impendi praecipitur: siue quinta, quae pro collatione ecclesiarum, vel libertorum, seu quorumlibet impensione, separari iuletur, de propriis tantundem rebus separabitur. Nam quod quisque ille per auctoritatem percipere meruerit principum, nullo modo in enumeratione huius tertiae, vel quintae partis quolibet titulo admiscetur: sed iuxta legem aliam, qui hoc a Rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint, de collatis sibi rebus a Principe ferre iudicium. ap. GEORG. p. 171. sqq.

p) Ibid. Hoc tamen rationis intuitu



b) PENES OSTGOTHOS, BVRGVNDIONES  
ET SAXONES.

Reliquum est, vt de iure *Ostgothorum*, *Burgundionum*, & *Saxonum* dicamus, quippe qui sunt tres illi populi, qui, vt diximus, fortis caeterorumque bonorum discrimen in alienando constituerunt; hi enim soli e vetustis Germanis, quorum leges scriptae ad nostram aetatem peruenerunt, supersunt. Nam de *Frissonibus* nihil hac de re dicendum inuenimus. In *edicto* autem *regis Ostgothorum Theodorici*, quamuis nulla quidem obuia sit in forte, aliisque bonis vendendis, iurium discrepantia, vt potius generaliter omnis alienatio, secundum leges coram magistratu facta, libera dicatur <sup>a)</sup>, *CASSIODORVS* <sup>b)</sup> tamen indices caueri iubet, ne quis beneficium illis vendat, quod publica sciuerint largitate collatum. quae quidem verba distinctionem inter sortes & alia bona immobilia innuere videntur. *Burgundiones* autem sorti plane aliam, & a prioribus diuersam scripserunt legem, eius alienationem non quidem simpliciter prohibentes, sed eam, tam ratione venditoris, quam ratione emtoris, circumscribentes. *Vendens* enim sortem suam 1) illi tantum licuit, qui alibi sortem, aut possessiones haberet. <sup>c)</sup> & ne huic quidem, 2) nisi necessitate coactus

praeluente adicimus: vt pater vel mater, auus vel auia, de supradicta terra partem suarum, si in nomine filiorum suorum atque neporum aliquid specialiter scriptis conferre decreuerint, iuxta testationis eorum ordinem cuncta erunt obseruanda perenniter, qualiter testatio ealium de eadem terra portione, iuxta quod eam in singulos voluerit praelargiri, plenam & inconvulsibilem obtineat firmitatem. Nec liceat filiis ipsis atque neporibus, qui de hac terra portione aliquid meruerint a pa-

rentibus suis, vel auis percipere, quodcumque aliud indicare, excepto, si a parentibus, vel auis, nulla ad futura videatur pro collatis rebus testationis conditio intercessisse.

ap. GEORG. p. 1972.

a) Edictum Theodorici Regis §. LII.

ap. GEORG. p. 2216.

b) Variarum lib. 12. ep. 5. p. 391.

c) Lex Burgundionum tit. 14. n. I. Quia cognouimus, Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrabere, hoc praesenti lege credidimus statuendum, vt nulli vende-



coactus fuerit <sup>d</sup>). Emere autem sortem extraneo plane prohibitum fuit. Sed & in his legibus nihil inuenio, quod condonum spiret, quum omnia, quae hic disponuntur, ex conditione militari intelligi possint. Non enim ad agnatum transferri iubentur sortes, sed ne ad extraneum perueniant, cauetur; nullam hic familiae inuenio rationem esse habitam, filii enim dimidia parte bonorum patris contenti esse debuerunt. Paulo implicator autem est, quam postremo loco explicandam nobis sumsimus, *lex Saxonum*, <sup>e</sup>) cuius ipsa verba, quum pauca sint, hic adiiciamus: I. *Traditiones & venditiones omnes legitimae stabiles permanent.* II. *Nulli liceat traditionem haereditatis suae facere, praeter ad ecclesiam, vel Regi, ut haeredem suum exhaeredem faciat, (seu, ut LINDBENBROGIVS, sequentia quoque his vno spiritu iungens, edidit, nec haeredem suum exhaeredem faciat.)* III. *Nisi forte famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur, mancipia liceat illi dare ac vendere. Traditiones immobilium quaecunque, etiam donationis titulo factae, & venditiones omnes legitimae stabiles permanent.* Legitimae autem quae sunt? Procul dubio, quae legibus non repugnant. Quenam autem prohibeantur, iam subiungitur, scilicet: *nulli liceat traditionem haereditatis suae, id est, sortis, facere.* En regulam de bonis alienari prohibitis! ex qua haud iniuste colligi videtur, omnia bona, praeter sortem, licite alienari posse. Ratio autem prohibitionis haec est: *ut haeredem suum exhaeredem, id est, exsortem faciat, seu sorte sua priuet.* Sed & huius regulae exceptio est his verbis tradita: *praeter ad ecclesiam, vel Regi.* Quid vero? si in extrema necessitate alienandi propter summam

G 3

egefta-

re terram suam liceat, nisi illi, qui alio loco sortem, aut possessiones habet.

<sup>d</sup>) Ibid. n. II. Hoc etiam interdictum, ut quisque, habens alibi terram, vendendi necessitatem habet, in comparando, quam Burgundio venalem habet, nullus extra-

neus Romano hospiti praeposatur, nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare. ap. GEORG. p. 393.

<sup>e</sup>) *Lex Saxonum tit. 15. ap. GEORG. p. 463.*



egestatem quis constitutus fuerit? Respondet lex nostra: nisi forte famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur, mancipia illi liceat dare ac vendere, id est: tum liceat quidem egeno mancipia dare, aut vendere illi, qui alimenta ipsi subministrare vult, minime vero sortem ipsam. Primum autem traditiones, ut in hac nostra qualicumque paraphrasi proposuimus, alienationes immobilium praesertim indicare, probant veterum sollemnitates, in transferendo fundorum, vel aedificiorum dominio consuetae, ut iactatio festucae in laisam ex lege Salica f), traditio herbarum & ramorum g), caeteraeque quae sollemnitates sub speciali nomine traditionis veniunt h), & nonnisi in immobilibus locum habent. i) Deinde haereditatis nomine sortem hoc loco venire, mirum videri nequit, quum hanc denominationem veteribus consuetam fuisse, antea (§. VII. & VIII.) probauerimus, & praeterea mancipiorum mentio fiat, quae cuilibet sorti, in ipsa sortium inter singulos diuisione, accessisse docet *lex Burgundionum* l). Nec dubium moueri potest, vtrum mancipia a sorte separari potuerint? quum non solum ex lege *Anglorum* m)

manci-

f) vid. not. a. in §. antec. & *CANGIUM* in glossario voce inuestire.

g) *Lex Baiuvariorum* tit. 17. cap. 2. *Per quasor angulos campi, aut designatis terminis, per haec verba tollat de ipsa terra, vel aratrum circumducatur, vel de herbis aut ramis, silua si fuerit: Ego tibi tradiidi, & legitime firmabo per ternas vices. Dicat haec verba & cum dextera manu tradat.* ap. *GEORG.* p. 317.

h) Luculentissime hanc rem demonstrat edictum *Theodorici Regis* §. *LI. LII. LIII.* vbi de donatione mobilium & immobilium agitur, & traditio mobilium ab illa, de qua nobis sermo est, distincte fecernitur.

i) cf. *IO. HENR. CHRIST. DE SEL-*

*CHOW*, quo doctore me vsum esse, semper laetabor, in *elementis iuris Germanici priuati*. P. Spec. Lib. 3. cap. 2. tit. 1. §. 551. p. 680. sq.

l) tit. 54. n. 1. Licet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum terram & duas terrarum partes accepit, eiusmodi a nobis emissi fuerit praeceptio, ut quicumque agrum cum mancipiis seu parentum nostrorum, sine largitate nostra perceperat, nec mancipiorum terram, nec duas terrarum partes, ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata, requireret. ap. *GEORG.* p. 379.

m) tit. 6. n. 1. Si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternae ge-



mancipia filiabus in successione tribuantur, sorte ipsa proximo agnato relicta, sed etiam ex *edicto regis Theodorici* <sup>n)</sup> Ostgothis expresse concessa sit facultas, mancipia absque terra alienandi, inque aliis veterum Germanorum legibus venditionis mancipiorum frequens memoria existet <sup>o)</sup>, ex quo cogitur, non inusitatum fuisse penes veteres Germanos mancipiorum sine terra, cui proprie accedebant, alienationem. Quare non video, quae huic legis Saxonum interpretationi obmoueri possunt, dubia, quum in quacunque alia, tam verborum inter se pugna, quam minorum Saxoniorum ab caeterorum Germanorum institutis nimia dissensio, & plane incongrua ratio loquendi inuehi videatur, praesertim si bonorum haereditariorum alienationem hoc loco prohibitam esse asserere velimus, quae omnia illo, quem elegimus, explicandi modo, quippe ad genium Germanorum maxime accommodato, plane vitantur. Leuis autem, quam LINDENBROGIVS voluit, verborum mutatio rei nostrae plane non aduersatur, sed ad idem tendit. quod pluribus demonstrare, superuacaneum esse videtur.

§. XI.

LEGES ANTIQVAE NEC REQVIRVNT CONSENSVM HAEREDVM IN ALIENATIONEM, ET IGNORANT IVS RETRACTVS GENTILITII.

Fuit ergo alienatio bonorum haereditariorum olim plane libera, ei tamen sollemnitati adstricta, vt praesentibus testibus, aut

nerationis consanguineum pertineat. ap. GEORG. p. 448.

n) §. CXLII. Liceat unicuique domino ex praediis, quae corporaliter & legitimo iure possidet, rustica viriusque sexus mancipia, etiamsi originaria sint, ad iuris sui loca transferre, vel urbanis ministeriis applicare. . . . Alienare etiam supra

dictae conditionis homines liceat dominis, absque terrae aliqua portione, sub scripturae attestatione, vel cedere, vendere cui libuerit, vel donare. ap. GEORG. p. 2233.

o) Lex Baiuuariorum tit. 15. cap. 9. & 12. ap. GEORG. p. 311. & 313.



aut in instrumento fieret, aut testibus & instrumento simul, perficereturque plerumque certe in iudicio seu mallo. <sup>a)</sup> Nullibi vero ne praesentiae quidem haeredum mentio fit, quamvis nihilo minus haeredes ad defendendam venditionem sub poena pecuniaria nonnunquam obligati fuerint, vt supra (§. IX.) vidimus; ideoque non temere asserere videor, nec consensum haeredum fuisse necessarium, nec ius retractus obtinuisse. Neque tamen ignoro, esse, e quibus contrarium elici solet, leges antiquas. Quare & de his paucis videamus. Primum autem *lex alamannorum* <sup>b)</sup>, vbi de traditione omnium bonorum ad ecclesiam loquitur, poenam excommunicationis minatur haeredibus, qui postea res illas de ecclesia abstrahere voluerint, & causa ceciderint. Quae ergo poterat: quomodo hoc fieri potuisset, nisi haeredibus ius contradicendi competisset? Sed longe a vero abesse nobis quidem videntur, qui ex his ius speciale aliquod haeredibus vindicare tentauerint, quum eandem poenam illi ipsi, qui vendidit, omnibusque aliis qualibuscunque personis propositam cernamus. Quodsi igitur his ius singulare tribui nequeat, ideam valebit in haeredibus. Accedit, quod in initio huius legis, vbi expresse Duci & Comiti adimitur ius contradicendi huic alienationi in ecclesiam faciundae, vt remoueat dubium, quasi his ex causa publica ius contradicendi compereret, haeredum tamen nulla mentio facta sit, sed in genere tantum adiciatur: *nec vlla persona*; aperto, vt mihi videtur, indicio, quod haeredes

a) vide, quas ad §§. IX. & X. in margine exscriptimus, leges.

b) tit. i. n. i. Si quis liber res suas, vel semetipsum, ad ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, nec vlla persona; - - - n. ii. Et si aliqua persona, aut ipse, qui dedit, vel aliquis de haere-

dibus eius, postea ipsas res de ipsa ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis homo qualiscunque persona hoc praesumpserit facere, & affectum, quem inchoauit, non obtineat, & Dei iudicium incurrat, & excommunicationem sanctae ecclesiae. ap. GEORG. p. 195.



redes tum quidem nulla iuris specie ius quoddam speciale & singulare contradicendi sibi arrogare posse existimatum sit, ideoque sufficere visum, eos sub generali denominatione cuiuscunque personae comprehendere. Ergone concedis, ita enim mihi obiurgari audio, haeredes vel vlla ratione hac lege inter illos comprehendi, qui contradicere potuissent? quare concedere quoque debebis, haeredes non potuisse, nisi retrahendo, contradicere, & hoc ius retractus illis in alienatione in ecclesiam facta hac lege tantum adimi, caeteroquin vero saluum manere. Sed in promptu est, quid respondeam. Fieri omnino poterat, vt haeres impugnaret venditionem, perinde vt ipse alienans, quamuis intentionem non fundaret in iure retractus. Quod, licet per se pateat, tamen, ne quid dubii supersit, vterius declarabo exemplo ex *legibus Longobardorum* desumpto, quarum verba in margine exscribam. c) Deinde scio, ius retractus gentilitii deduci solere ex *lege Saxonum* d), vbi exul, necessitate ad haereditatem suam vendendam coactus, iubetur offerre illam, primum proximo suo, quo nolente, tutori, aut curatori a rege constituto, & hoc demum recusante, vendendi illam, cuiuscunque velit, facultas ipsi conceditur. Sed esse hanc legem plane specialem, quum de exule loquatur, manifesto apparet.

H

Quare

c) *Rotharis leges* §. CCXXX. Si quis comparauerit terram, id est, solum ad aedificandum, aut casam mancipatam, & per quinque annos inter personas praesentes possederit, & postea ipse venditor, aut heres eius, pulsauerit dicendo, quod praestitisset, non enim vendisset, ostendat libellum scriptum, vbi rogatus fuisset praestandi. Et, si libellum non habuerit, nihil aliud faciat error, nisi sacramentum secundum qualiter pecuniae praebet, scilicet quod cum pretio suo rem ipsam comparasset, nec alteri per legem debeat di-

mittere: Tunc liceat ei postea firmiter possidere, quod sibi comparauerit. ap. GEORG. p. 988.

d) tit. 17. Liber homo, qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat, qui iam in exilium missus est, si haereditatem suam, necessitate coactus, vendere voluerit, offerat eam primo proximo suo; si ille emere noluerit, offerat tutori suo, vel ei, qui tunc a rege super ipsius res constitutus est. Si nec ille voluerit, vendet eam, cuiuscunque voluerit. ap. GEORG. p. 463.



Quare ergo, quae de exule hic praecipuntur, producantur ad quemlibet alium? aut, si adeo late producenda sunt, quare hic exulis mentio tantum fit? Ad has quaestiones quid respondeam, non suppetiit mihi, quousque communem illam interpretationem sequutus sum; iam vero, quum ab hac recedere ausus sim, suppetit alia ratio, qua his difficultatibus me explicem. Sed, utrum praestet, nihil? an ita, uti ego, respondere? & an nodum ita soluerim? iudicent harum rerum intelligentes lectores. Supra autem vidimus, haereditatem suam, sine sortem, neminem vendere potuisse, ideoque ius futurum in illam haereditibus esse concessum; itaque singulare aliquid hic inuenimus, quod scilicet potestas illam vendendi exuli concedatur, quum ipsi civi mancipia tantum vendere liceat. Ne tamen libertas vendendi, concessa exuli, quia civis esse desierat, nec amplius ratio prohibita alienationis sortis, militia scilicet praestanda, in ipsum cadebat, innocenti haeredi detrimento sit, legislator agnato proximo ius illud futurum sortis mortuo domino acquirendae conferuat, exulemque huic primum haereditatem offerre iubet. Pro qua quidem interpretatione tantum aberit, ut haec lex retractum gentilitium innuat, tanquam morem generalem, seu ius commune, ut potius contrarium probet. Nec praetereundum videtur, haereditatem, secundum hanc legem, proximo agnato renuente, non offerri debuisse reliquis agnatis, sed tutori, aut curatori a rege constituto, qui consanguineus non esse videtur; ex quo euincitur, hanc offerendae haereditatis obligationem non condominium spectare, sed solum ius proximitatis in successione.

§. XII.

TRANSITVS AD EXPLICANDVM SPECVLVM SAXONICVM.

Collectis autem omnibus haecenus deductis apparet: tria olim



olim existisse bonorum immobilium genera, sortem, alodem, seu bona haereditaria, & bona acquisita, quorum sola sors penes Saxones alienari non potuit; circa alienationem bonorum haereditariorum vero haeredibus nullum ius competiisse, neque consensus, neque retractus. Successu temporis tamen sortes plene desierunt; nam terrae deuictae non amplius inter singulos distribuebantur, & Carolus M. singulis mansorum possessoribus militiae obligationem imponebat. Neque tamen Caroli M. tempore alienatio alodum prohibita fuisse videtur, quum hac de re in capitularibus nihil sancitum sit. Quod quare ne fieri quidem potuerit, docet EGINHARDVS <sup>a)</sup>, qui auctor nobis est, illum omnium nationum, quae sub eius ditione essent, iura, quae scripta non erant, describere, ac literis mandari fecisse; id quod in primis leges Saxonicae declarant, quae permultis in locis ipsum Carolum M. auctorem, vel saltem restauratorem & correctorem profitentur <sup>b)</sup>, in quibus tamen liberam bona haereditaria alienandi facultatem fundatam esse docuimus. Sicuti enim hac ipsa cura auctoritati veterum iurium morumque prospicere, eamque conseruare voluit, ita, quae secundum eas possessoribus bonorum competeat libera alienandi facultas, iis adimere, aut restringere non potuit. Beneficiis autem, quae sub Francorum imperio reliquis bonis immobilibus tanquam quartum accesserant bonorum genus, postea in feuda mutatis, orta sunt tria illa bonorum genera, quae in iure Saxonico prouinciali reperiuntur, feuda scilicet, allodia, & bona requisita. Quum vero duo posteriora in proprietate singulorum essent, generali sub nomine allodii opposita sunt feudis. Et haec quidem sunt, quibus lucem affundi putamus iis, quae supra (§. I. & II.) de triplici allodii, seu Eigen, significatu ex I. P. S. disputauimus. Neque incongrue

H 2

<sup>a)</sup> in vita gestisque Caroli M. p. m. 353. edit. Colon. 1651. 12.

<sup>b)</sup> CONRING de origine iuris Germ. cap. 13.



congrue hoc loco quaeri poterat: quoniam demum tempore bonorum haereditariorum, seu alodum, alienatio consensui haereditum adstricta sit? quum haec limitatio, tanquam consuetudo communis, speculo Saxonico inserta reperiatur. Ad quam quidem quaestionem, quamuis diu multumque laborauerim, tamen non habeo, quid respondeam, vehementerque opto, ut quis curiosior huius generis rerum indagator feliciori successu certi quid definire studeat. Si quid qualicumque nostrae coniecturae indulgendum videtur, sacrae expeditiones medi aevi non immerito hac in re in auxilium vocari poterunt. Hae enim nouam prorsus faciem rei nobilium Germaniae induerunt, quum omnes, sacro ardore accensi, bona, etiam auita, cuiquam traderent, praefertim clericis <sup>e)</sup>, inque militiam sacram properarent, quibus ordo nobilium insigniter imminuebatur. Hanc autem oblatam sibi dignitatem nobilium acquirendi occasionem quum arriperent homines plebei, aue Caesaribus impetrarent, ut nobilium splendor & iura diplomatibus sibi conferrentur, orta est inter nobiles mira contentio. Qui enim nobilitate auita emine-

<sup>e)</sup> ORDERICVS VITALIS lib. 9. hist. eccles. ad anno 1095. p. 720. Diuitibus itaque & pauperibus, viris & mulieribus, monachis, clericis, urbanis & rusticis in Hierusalem eundi, aut euntes adiuuandi merat voluntas mirabilis. Mariti dilecti coniuges domi relinquere disponebant. Illae vero gementes, relicta prole, cum omnibus diuitiis suis, in peregrinatione viros suos sequi valde cupiebant. Praedia vero bacenus obara vili pretio nunc vendebantur, & arma emebantur. 10. TRITHEMIVS in chron. Hirsang. Tom. 1. ad ann. 1260. p. 498. edit. S. Gall. Hoc ipso anno multi principes, episcopi, duces, comites, nobiles & ignobiles, cum infinita multitudine, cruce signati, ad terram sanctam, in ser-

uitium dominici sepulchri, contra Saracenos profecti sunt. Inter quos fuit Bertholdus, comes de Nuuenburg in Brisgau, qui accepta pecunia comitatum suum Argentinensi ecclesiae tradidit in possessionem perpetuam cum omnibus prouentibus suis, & ipse, cum filio Hierosolymam profectus, in seruitio dominici sepulchri vsque ad mortem fideliter perseuerauit. Cuius prouocati exemplo multi nobiles & potentes, venditis praediis & possessionibus suis, cum vxoribus & liberis perpetuo seruitio sancti sepulchri se deuouerunt. cf. 1. H. BOEHMER de varia iurium inuouatione per expeditionem cruce signatorum Cap. 1. §. 3. nor. u. & §. 4. nor. ii.



eminebant, maiorem gentium suarum curam agere coeperunt, quo, maiori fulgore splendentes, eos obfuscarent, qui nobilitate diplomatica ornati aemulos se honorum suorum praestabant. <sup>d)</sup> Ab hoc demum tempore inualuerunt insignia gentilitia, quae antea singulis militibus arbitraria erant, & quum omnis nobilium antiquorum praeceminentia in discrimen vocaretur, hoc etiam tempore consensum haeredum in alienationem fundorum adhibuisse, illisque ius retractus moribus concessisse videntur. Neque tamen constantem hanc consensum haeredum requirendi consuetudinem fuisse, mox docebimus, ubi de Holsatiae iuribus dicendi locus erit.

## §. XIII.

ALIENATIO BONORVM AVITORVM  
IN SPECVLO SAXONICO HAEREDVM CONSENSVI  
ADSTRACTA.

Iuris prouincialis Saxonici compilator, quum omnes Saxonum mores in vnum codicem colligere in animum induxisset, bonorum auitorum hanc quasi propriam naturam constituit, vt alienare eadem insciis inuitisque haeredibus non liceret. Ita enim disertis verbis: *Ohne des Richters Vrlaub mag ein Mann sein Eigenwohl vergeben mit der Erben Gunst, &: Ohne der Erben Laub und ohne Gericht mag kein Mann sein eigen Gut, noch seine Leute vergeben - - Vergiebt er es aber wider Recht, ohne der Erben Vrlaub, die Erben moegen sich ihres Guts wol unterwinden mit Recht, als ob der todt wär, der es gab, darum, daß er es nicht vergeben mochte.* <sup>a)</sup> Ne tamen in interpretatione huius iuris rem dudum a s. v. DREYERO <sup>b)</sup> praeclare actam

H 3

<sup>d)</sup> L. H. BOEHMER l. c. cap. 3. §. 3. & 5.

<sup>a)</sup> I. P. S. Lib. 1. art. 34. & 52.

<sup>b)</sup> in diss. de restricta facultate alienandi bona haereditaria §. 7. not. a.



actam iterum agamus, pauca tantum adiiciamus, quibus, quod maxime hoc loco quaeritur, esse hic de auitis, inuicem vero de acquisitis bonis, sermonem, vterius firmemus. Qua ratione autem bonis auitis denominatio Eigen tribuatur, supra (§. II.) demonstratum est; ideoque non amplius de nomine laborandum, sed de re ipsa agendum erit. Multum autem bonis haereditariis prae acquisitis in iure Saxonico dari, ex eo apparet, quod, mota controuersia de titulo & iure possidendi, ius haereditarium prae se ferens facilius audiatur, quam ille, qui titulo emtionis, vel donationis, fundum se possidere affirmat. Cuius ratio quidem in aprico est. Quum enim ab antiquissimis temporibus immobilia plerumque in iudicio, & semper adhibitis testibus, aut confecto instrumento alienari solerent, is, qui bona immobilia iure emti, vel donati, se possidere nudis assererat verbis, nullo allato huius rei documento, in eam cadebat suspicionem, quasi res non rite acta esset; is vero, qui iure successione immobilia se acquisiuisse contendebat, non solum pietate parentum suorum, aut consanguineorum, quae penes Germanos summa semper fuit, nitebatur, sed etiam titulum prae se ferebat, quasi naturalem, nec tot actibus ciuilibus adstrictum. Id quod magis ex eo firmatur, quod tempore speculi Saxonici illa dudum obtinuerat regula: *was einmal in den Erbgang gekommen, muß darin bleiben.* Haec enim est ille fons, ex quo ius haeredum in alienationem, a praesenti possessore faciendam, consentiendi, &, neglecto illo, rem venditam, vel donatam, vindicatione retrahendi, originem cepit, quum bona illa per successione, id est, titulo vniuersali, quia scilicet ad familiam defuncti

c) I. P. S. Lib. 2. art. 43. Erbeigens Recht mag auch ein Mann laß behalten an einem Gut, dann ein ander eins Kaufft oder einer Gaben Recht daran behalren

mag siue secundum veterem textum: Erffeygen moß ock ein Man behalden dar dan en ander gekofft eygen oder gegeben.



functi pertinebat successor, proximusque consanguineus erat, semel delata non ipsius successoris, sed vniuersae familiae propria aestimarentur, quum idem acquirendi titulus omnibus eiusdem gentis communis esset, & defunctus, dum haec bona non soli personae, ob singularem in illam prae caeteris consanguineis fauorem, sed quia gentis suae erat, relinqueret, haec bona vniuersae familiae relinquere voluisse videretur. Quare iam per se patet, ius illud haeredum ad bona a praesenti possessore titulo singulari acquisita nullo modo extendi posse, quum haec bona ab anteriori possessore, vel ob praestitam sibi pecuniam, aut alia acquirentis facta, vel ob singularem in acquirentis personam fauorem, huic vendita, vel donata essent, nisi expressa adiecta sit lex, vt emtor, vel donatarius illa genti suae incolumbia relinqueret. Ex ipsa igitur iuris in alienationem consentiendi origine perspicitur, speculum Saxonicum in ipsis, quos proposuimus, articulis non de bonis acquisitis, sed de haereditariis loqui. Quae quum expressis *Weichbildi Saxonici d)* & *glossatorum ad ius feudale e)* verbis extra omne dubium posita sint, haec iuris prouin-

d) art. 20. Nun höret und vernehmet, ob ein Mann sein eigen vergeben will binnen Weichbild, wie er das thun soll, dann er es recht und redlich sey, und hüßlich dem, der es haben soll, Er soll kommen zu rechter Dingstat, und vor die bencke, mit dem, ders empfahen soll, so frag denn der, der das eigen wil vergeben (mit urteilen) wie er sein eigen vergeben soll, das es ihm hüßlich sey zu seinem Redten, so vinder man ihm zu Recht (mit der erben laub) ob es erb oder gabhafft Gut ist, das ist, das es nicht unbeerbet oder ungabhaft Gut sey, also, das ers gekaufft hab umb sein gelt, denn so mag ers geben, wem er will, on jemandes widersprechen.

e) ad cap. 54. Eigen aber ist das, das ein mann kaufft umb sein wolgemunnen gelt, oder das er krieget von rauber wurzel, Das ist, das dauor niemands gewesen ist. Also mag man auch noch heutiges tages gut erkriegen, das eines mannes eigen mag werden. Vnd wo also ein mann eigen hat, das mag er on der erben laub nicht gleich allemal vergeben. Eigen ist aber zweierley, Eins heist stehend eigen als heuser, vnd vorwerck, Vnd das mag vnser eigen werden darumb, das wir es kauffen, vnd vns uberrecht wird mit der erben vrlaub, vnd so ist es denn vnser eigen, Vnd das eigen moegen wir geben, wem wir woellen. Das ander heist Erheigen, wann stirbt ein Gut an vns, vnd



provincialis Saxonici est de alienandis bonis immobilibus doctrina: allodia immobilia distinguuntur in haereditaria & acquisita; haec, adhibita iudicis auctoritate, vendere, vel donare, cuicumque licet; illa vero vna cum mancipiis familiae conferuanda sunt. Bona haereditaria igitur si quis vendere voluerit, consensus haeredum accedat necesse est, & in iudicio vendantur; si vero donare, sola sufficiat consentiens haeredum voluntas absque iudicis interuentu, modo dimidium mansi retineat, vel curtem, aut curiam tantae amplitudinis, vt vehiculum ibi vertere liceat. *f)* Quae autem si, non obstante hoc iure, alienare praesumerit aliquis, in seipsis inuitisque haeredibus, censeatur pro mortuo, ita vt haeredes, quasi illorum bonorum domini, coram iudice illa vindicare possint, quia alienanti non competeat alienandi facultas. His deductis, restat, vt dissentientium argumenta lustremus; sed, quum saepe laudatus DREYERVS hunc laborem cum summa eruditione iam occupauerit, solus superest IO. RICHEY *g)*, cuius dubia soluere tentabimus.

Hic

*erbt auf unsere Kinder, so heist es erbeigen. Stirbt denn das gut an vnsers kindes kind, so heist es ein anerstorben erbe. Stirbt es denn jre Kinder fort an, so heist es ein Stammerbe. Ir sollet wissen, solche güter mag niemandt weder verkauffen, noch verkeren, one der Erben vrlaub.*

*f) I. P. S. Lib. 1. art. 34. Ohne des Richters Vrlaub mag ein Mann sein Eigen wol vergehen mit der Erben Gunst, also daß er behalt eine halbe Hufe, oder ein Hoffstadt, da man einen Wagen innen gehenden moege.*

*g) in diss. de pactorum dotalium mutatione ob fauorem bonorum haereditarium iure Hamburgeris restricta (Traiecti ad Rhenum 1732.) cap. 4. p. 12. sq. Ipsam illam, quae hodie apud nos vsu viget, bono-*

*rum hereditariorum ab adquisitis distinctionem (Saxones) ignorarunt penitus, quippe quae, ex mea sententiâ, ante tempora efflorescentium in Germania commerciorum, conditorumque sanul iurium Lubecensis & Hamburgensis cogita haud fuit. Certe istud eorum discrimen non existit, vt haec pro cuiusvis arbitrio alienari possent, illa non item. Tunc affert formulas quasdam veteres, vbi quidem aloden & comparatum, quod ipse per rem acquisitam explicat, sibi opponi concedit; atramen ista omnia, inquit, ad idem alodes, siue patrimonium pertinebant, nec ulla est mentio differentiae circa alienationem. In speculo Saxonico, quod ad alienationem, bona immobilia a mobilibus vnicè distinguuntur. . . . Adquisitionis autem nulla*



Hic enim distinctionis bonorum immobilium in haereditaria & acquisita originem ad tempus conditi iuris Lubecensis & Hamburgensis refert, quum bona acquisita, quorum in formulis antiquioribus mentio fieret, ad *idem alodes. siue patrimonium. pertinuerint*, nec vlla circa alienationem adfuerit differentia; Speculum Saxonicum autem, quod ad alienationem, bona immobilia a mobilibus vnice distinxerit. Quarum rerum probationem frustra quaesieris, quum in sola refutatione glossae versetur. Quod vero ad originem huius distinctionis pertinet, eam in antiquioribus Germanorum legibus iam adfuisse, demonstrauiamus, quamvis nulla circa alienationem eorum adesset discrepantia, non tamen ita, vt vtriusque bonorum generis alienatio ad haeredum consensum adstricta esset, quod aduersarius noster innuit, sed plane libera. Quae autem posteriori aevo conditio eorum fuerit, ex formulis supra (§. II.) exscriptis satis apparet, nec vlla adest ratio, quare bona acquisita ad alodes pertinuisse asseramus, quum diserte ab illis distinguantur. Speculi porro Saxonicum dispositionem mirum in modum turbauit IO. RICHEY, verba glossae, quae non, vti is profert, sed plane contrario sensu hunc in modum concepta sunt: *Eigen ist zweyerley; stehend oder liegend, und sabrende haabe. Das erste Eigen ist erbeigen und wohl-*

## I

gelwon-

bie ratio erat, sed mobilia quaeuis, id est, quae auro praedio non cohaerebant, siue fuerint a patre profecta, siue aliunde quocumque titulo comparata, alienationem admittentur. Sola glossa ad arr. 24. Lib. 1. I. P. S. scrupulum aliquem hic inicere videtur, dum diserte ait: *Erbeigen mag man ohne der Erben Laub nicht vergeben; wolgewonnen Eigen aber mag man wol vergeben.* - - Sed salua res est. Ait ille: *Eigen ist zweyerley, stehend, oder liegend, oder sabrende Habe: Das erste Eigen ist Erbeigen, das andere Wolgewonnen; id est:*

*immobilia omnia hereditaria sunt, mobilia sunt acquisita, siue non hereditaria.* Hic demum subiungit verba citata, quae sic explicanda: bona hereditaria (quae sunt sola immobilia) sine heredum consensu non sunt alienanda; acquisita, siue non hereditaria (quae sunt sola mobilia) possunt sine illorum consensu alienari. - - Hereditarium & immobile enim habet pro synonymis, & vtrumque opponit mobili, siue acquisito, siue non hereditario, quae vicissim synonyma sunt.



gewonnen; <sup>b)</sup> in sententiam suam detorquendo, quo probet, omnia immobilia fuisse haereditaria, mobilia vero acquisita; quae autem opinio quum manifesto errore innitatur, ideoque cum argumentis nostris nullo modo pugnare ne videri quidem possit, in refutanda illa non amplius moremur.

## §. XIII.

## DE CONDOMINIO QVAERITVR.

Quum autem in tractandis antiquioribus Germanorum legibus plura disputauerim, quibus condominium, quod in bonis haereditariis inter possessorem & agnatos communi fere omnium opinione viguisse censetur, non adfuisse demonstrarem, merito quaeritur, vtrum idem negare mihi sumserim, si de dispositione speculi Saxonici, quae moribus recentioris aevi innititur, sermo sit? In qua quidem quaestione tractanda vt rite verfer, ius, quod haeredibus in hac morum collectione conceditur, curatius exponendum erit. Paroemia enim iuris Germanici: bona haereditaria semel per successionem delata semper eodem modo deferri debere, quae in interpretando iure Saxónico fundamenti loco ponenda est, huic acquirendi titulo eam vim tribuit, vt ipsa haereditatis aditione successor obligetur, bona illa haeredibus relinquendi. Quae obligatio, quum condominium succedentis restringat, adempta ipsi libera bonorum dispositione, haeredibus illius ius quoddam confert, quod statim a morte primi possessoris horum bonorum initium capit. Quod quomodo se habeat, & ab haeredibus exerceatur, demonstrat speculum Saxonicum. Quamdiu enim bonorum haereditarium possessor nil agit, quod ad alienationem eorum spectet, tamdiu ius haere-

<sup>b)</sup> vide glossam latinam ad art. 34. Lib. 1. I. P. S. in editione ZOBELII.



haeredum quiescit, simulac vero bona illa vendere vel donare cupierit, consensus haeredum requirendus est, manifesto indicio, quod possessori plenus bonorum haereditariorum ususfructus competat, in proprietate illorum autem haeredes eius cum illo concurrant. Si vero ipsa iam alienauerit inuitis haeredibus, vindicari possunt ab illis, quia ob expressam prohibitionem, bona illa absque praeiudicio haeredum consensu alienandi, dominium eorum in alium translatum pro derelicto habetur, ac si mortuus sit, ita ut ipso iure plenum dominium haeredibus deferatur; prout ipsa speculi Saxonici verba declarant: *Vergiebt er es aber wider Recht, ohne der Erben Vrlaub, die Erben moegen sich ihre s Guts wol unterwinden mit Recht, als ob der todt wär, der es gab, darum daß er es nicht vergeben mochte.* Ex quibus efficitur, ius, quod haeredibus viuente bonorum haereditariorum possessore competit, si termino artis illud nominare velim, esse dominium minus plenum directum, quam ipse possessor dominio minus pleno utili gaudeat. Quare per se patet, illum, in quem bona immobilia per successionem ab intestato, tanquam consanguineum, deferuntur, illiusque haeredes ratione proprietatis quidem condominos esse, possessionem vero & ususfructum ipsi successori competere. Non sine ratione igitur affirmari posse videtur, dispositionem speculi Saxonici innuere condominium, ita ut omnes agnati, tanquam haeredes primi acquirantis, succedant, nisi in alienationem bonorum haereditariorum consenserint; minime vero idem asseri posse, si ad leges Germanorum veteres respicias.



DE IVRIBVS HOLSATIAE CIRCA ALIENATIONEM  
BONORVM AVITORVM.

## §. I.

VSQVE AD FINEM SAEC. XV. CONSENSVS HAEREDVM  
IN ALIENATIONIBVS BONORVM AVITORVM  
ETIAM IN HOLSATIA ADHIBITVS  
EST.

**D**iscussis, vt in principio propositum erat, duabus quaestioni-  
bus: de speculo Saxonico in Holsatia vim iuris scripti obtinen-  
te; & de bonorum auitorum alienatione in illo ad consensum  
haeredum adstricta, pergendum iam erit ad tertiam, qua quae-  
ritur de bonis auitis Holsaticis ab hac alienationis lege immuni-  
bus. In qua quidem eo diligentius versandum erit, quum re-  
gulae in priori capite stabilitae exceptionem praebeat, quae non-  
nisi priuilegiis & consuetudine niti potest. Quamuis autem,  
ipsum *REPLOWIUM* <sup>a)</sup> quandam Holsatorum & caeterorum  
Saxonum morum discrepantiam agnouisse, supra obseruatum sit,  
quia haec tamen ad feuda tantum, non ad allodia pertinent,  
rem nostram adeo non tangunt. Neque vero negandum est,  
pristinis, & ipsi aetati speculi Saxonici proxime accedentibus  
temporibus in his terris vsu obtinuisse, vt in alienatione bono-  
rum haeredum, consanguineorumque, & eorum, quorum in-  
terest, consensus interuenerit, quum id fide documentorum  
saeculi XIII. & sequentium vsque ad annum septuagesimum sae-  
culi XV. constet <sup>b)</sup>, sicuti etiam apparet, his ipsis temporibus  
resigna-

a) I. P. S. Lib. 3. art. 64.

b) vide *Diplomatarium Neomonsae-*  
*riense* & *Bordisbolmensē Dipl.* XLIV. de  
no. 1264. XLV. de no. 1265. LXXXIII. de  
no. 1310. CCXI. de no. 1357. CCLXXXVII.  
de no. 1408. CCCLII. de no. 1448.



resignationem iudicalem in vsu fuisse. <sup>c)</sup> Sed quum iisdem his documentis constat, hunc haeredum consensum non tantum in alienatione bonorum haereditariorum <sup>d)</sup>, verum quoque reddituum adeo <sup>e)</sup>, ideoque multo magis immobilium acquisitionum, adhibitum fuisse, ne his quidem documentis probari poterit, id ius, quod in speculo Saxonico continetur, quippe ad sola immobilia haereditaria adstrictum, in Holsatia viguisse. Quare nec id ipsum condominium, quo illa dispositio nititur, patriae moribus vindicari poterit. Quomodo autem factum sit, ut postea ab hoc more recesserint maiores, id quod non tantum in patria, sed & in multis aliis Germaniae prouinciis euenisse intelligimus <sup>f)</sup>, ex ipso forte genio saeculi non adeo difficulter deduci

I 3

deduci

CCCLXXV. de ao. 1470. ap. de WESTPHALEN Tom. 2. Monument. inedit. p. 46. 72. 205. 309. 426. 453. vbi haec occurrunt formulae: *consentientibus fratribus ipsius (scil. vxoris, cuius dos, quatuor mansus constans, a marito illius venditur Nouomonaferio) nec non & omnibus Coheredibus nostris; item consentientibus eorum propinquis; item de maturo amicorum meorum consilio & consensu; item mit Rade und Vulbord miner Husvrouen, unde minen Erven; item ick unde mine Erven myt wolberadenem mode unde vulbord al der ghemmen, de ere vulbord hir plichtich syn to zhogbevende; porro: myd Rade unde vulbord aller myner Erven und vründe, unde allen, der hire ere vulbord to Noth unde behoff was; demum: mi rade, willen, unde vulbord miner arven unde al der jennen, der vulbord hyr to noer und behoff is.*

<sup>c)</sup> vid. l. c. Diploma XLV. de ao. 1265. Huius venditionis certitudinem, quae vulgo dicitur Sellandia & Warandia, secundum consuetudinem terrae, fecerunt praedicti fratres in praesentia & audientia pluri-

morum. ap. WESTPHALEN l. c. p. 46. De voce Sellandia. cf. idem in praefat. Tomi 2. Mon. inedit. p. 225qq. vbi demonstrat, illam indigitare rehnationem.

<sup>d)</sup> vid. Diploma CCLXXVII. de ao. 1408. *Dyt vorhenomede dörp unde ghued hebbe wy en verkofft, also vry unde unbeworen, also wy, unde unse Erven, esse vorvaren dat ye vrigest an unsen weren hadden unde beseren hebben.* ap. WESTPHALEN l. c. p. 309.

<sup>e)</sup> Diploma CCCLII. de ao. 1448. *Ich Harrich Poggewisch - - bekenne vor als weme, dat ick vor my unde myne erven, myd Rade unde vulbord aller myner Erven und vründe, unde allen, der hire ere vulbord to Noth unde behoff was, rechtliken unde reddeliken hebbe verkofft, unde appellen, vorkope unde vorlate in macht deses breves Sößmark gheldes, lareliken Rembe.* ap. WESTPHALEN l. c. p. 426.

<sup>f)</sup> *Quam eandem rem exemplis firmarunt STRYK de success. ab intestato diff. 6. cap. 1. §. 23. KOBIVS de pecunia mutuatia tuto collocanda §. 59. p. 108. seqq.*



deduci poterit. Quum enim immobilium possessio simpliciter ad militiam obligare defineret, nullumque, praeter tributa, civili imperio in bonis immobilibus, dominio priuatorum subiectis, superesset ius, nisi resignatio iudicialis, inque solis feudis pristinae rei militaris imago, eaque ex conuentione tantum, ipsoque nexu feudali, manserit, hasque ob causas insigne illud alodiorum in ciuitate momentum, quo antea censebantur, quodque legibus conseruare intererat, pedetentim euanesceret, paxque publica possessores praediorum a turbis bellorum, diffidationumque, quibus, quasi egregiis facinoribus, & laudem quaerere, & possessiones suas tueri studebant, ad quietem, & quae huius comes esse solet, ignauiam, incuriamque rerum suarum reuocaret, & crescente per efflorescentem mercaturam luxuria, ingens aes alienum praedia premeret, quod solui nullo modo poterat, quousque alodiorum alienatio tam arctis adstricta erat limitibus, ideoque fundorum possessores, vt fidem summa sanctitate & religione obligatam liberarent, ad distrahenda praedia properarent: magna orta est contentio inter leges, quae bona auita vendere prohibebant, illasque, quae pacta & contractus violari vetabant, ita vt ipsi legum conditores venditioni alodiorum frena laxare cogerentur, haeredibusque solum seruarent ius retractus; iis fundis exceptis, in quibus per pacta familiae pristina praediorum conditio seruata erat, quae incongruo fidei commissorum nomine insigniti sunt.

## §. II.

ORIGO LIBERAE BONORVM AVITORVM  
ALIENATIONIS IN HOLSATIA.

Statim in principio saeculi XVI. occurrunt diplomata, quae haeredum consensum in alienandis bonis auitis interuenientem plane



plane ignorant, & solam continent formulam, hodie in contractibus ineundis vsitata: Für mich und meine Erben. Testis est diploma de ao. MDI. <sup>a)</sup>, quo fundus ipse cum redditibus, de quibus antea lis fuerat, monasterio Bordisholmensi in perpetuum venditur, ita vt venditor non solum nomine suo & haeredum suorum emtori immunitatem ab omni turbatione promittat, sed etiam se ipsum & haeredes ad euictionem praestandam obliget, sine vlla haeredum vel propinquorum consentientium mentione, quum tamen expressis verbis indicet, fundum illum a maioribus ad se esse delatum. Desuisse quoque resignationis iudicialis necessitatem ex eo patet, quod vetus illa *Sollandia*, seu formula: *secundum ius Holzaticum puta Zel und War* <sup>b)</sup>, hic non, vt olim, adiecta reperitur. Idem tum temporis in donationibus mortis causa obtinuisse, luculentissimum docet instrumentum de ao. MDII. <sup>c)</sup>, vbi nobilis quidam, non adhibito haeredum consensu,

<sup>a)</sup> Diploma CCCCVIII. de 1501. Wyrlick sy allen denjemen, de dessen bress seen, edder boren lesen, dar ick Borchard Krummedick bekenne openbar in dessene mynem Breve, vor my unde alle myne Erven . . . . So dar ick . . . dem ergenömeden Heren und convente vor de Söven marck thegaden scal, unde hebbe ick gegeben vor my unde mynen erven to brukende Softich marklüb, also den in vorzyden myne vorolderen hadden vor affgehofft, hir wedder vor hebbe ick en wedder vorlaten und avergeben, vorlate und avergeve vor my und alle myne erven . . . . alle ansprake, de ick to en hebbe gebat, besundergen van des penniges wegen van dem ergenömeden Have, den ick unde myne vorolderen darinne behben geharb Ick unde myne erven, edder jeman van myner wegen dar yn namenden riden nimmermer upp to sukende,

Se den sülvesten penning und hoff myr alleme rechre in allen sinen endesceden &c, myr aller siner nüttricheit to ewigen tyden to brukende, ick unde de mynen en dargergeren in to hynderende, men in allen dyngen en bystendich und behülpelik to wesende, wen se id van my unde den mynen van des Haves wegen begeren. ap. WESTPHALEN l. c. p. 498. sq.

<sup>b)</sup> Diploma CLVIII. ap. WESTPHALEN p. 140.

<sup>c)</sup> Diploma CCCCXIV. de 1502. Vor al den, de dessen yegenwardighen Bress seen vnde boren lezen, bekenne ik Johan Wilstermann knape, dar ik myr vryen Willen unde Volmacht mines leuendes, hebbe geben und vorlaten sodane gut, alze ny de werde god vorlener befft, deme Proueste und deme gbanzen Convente des Klosters to dem Bardesholme, to dessen sülvem Klosters behuf, welcke ridt ik doet bin, also



sensu, omnia bona monasterio Bordisholmensi in euentum mor-  
 tis donat, haeredesque & propinquos ab omni impugnatione  
 prohibet, hac adiecta clausula: vt monasterio perpetua maneant  
 in suam *parentumque suorum* salutem. quibus verbis bona illa a ma-  
 ioribus, saltim a parentibus ipsius, ad se peruenisse declarat.  
 Liberae autem bonorum auitorum alienationis, quam forte fa-  
 ciliorem reddidit illorum temporum mos ac superstitio, eccle-  
 siis piisque causis maxime mortis causa summas opes relinquen-  
 di, penes Hofstos praeter communem studii mercaturae, quod  
 ob ciuitatis Hamburgensis vicinitatem, & arctum cum vrbe Lu-  
 beccensi nexum, inter eos maxime inualuisse videtur, specialis  
 reddi potest causa, quam in ipsa veteris eorum regiminis forma  
 sitam esse reperimus. Strenue enim tum temporis obseruabant  
 veterem comitiorum prouincialium apud Saxones celebratum  
 morem, ita vt suum ipsi eligerent Ducem <sup>d)</sup>, &, quamuis leges  
 non, Quiritium more, ad se latas iuberent, Principi tamen  
 in iis condendis auxilium ferrent, priuilegiaque consuetudini-  
 bus innixa, aut expresso Principis iussu sibi collata, iuristurandi  
 religione firmari curarent, antequam homagium ipsi praestaban-  
 t. <sup>e)</sup> Quum igitur ob hanc in legibus condendis potestatem  
 libe-

dat van mynen erven esse vrün-  
 den dar niemand mebr opsaken edder Frün-  
 den schal, zo ewygen Tyden, men  
 id schal hy dessen' vorbenömeden Kloftere  
 blyuen, umme myner Olderen unde  
 myner zele salicheyt. Willen sander ansprake  
 yemighes mynschen. ap. WESTFAL-  
 LEN l. c. p. 504.

d) Könink CHRISTIERN Hand-  
 festinge edder Confirmation der Priuilegien  
 &c. datum Ripen ao. 1460. Dat Wy rbo  
 den suluen Landen gekabren sindt, rbo enen  
 Herren, als vorgechreven is, nich als en  
 König rbo Dennemarchen, men umme gunst,  
 de de Inwaner dieser Lands rbo unser Per-

sohñ hebben, nicht rbo Erwende disse Lande  
 lenigen van unsern Kindern edder Frün-  
 den, men na unserm Lebende, als Wy nur  
 van fryen Willen gekabren sindt, rbo disen  
 Landen van den Inwanern erben: So mö-  
 gen Se und ebre Nakkomlinge - - beholden  
 ebre Kobre, rbo kesende den rbo enen  
 Herrn, enen van unsern Kindern, est der  
 nene wehren - - rbo kesende van ebreu en-  
 sen Rechten Erven, de denne kobreu wirr.  
 cf. IARGOW Einleitung zu der Lehre  
 von Regalien in appendice priuilegiorum  
 Ordinis Equestris Holstiarici p. 6. sq.  
 e) Cuius rei illustre exemplum praestant, quae in minorennitate CHR-



liberius illis competeret de rebus suis arbitrium, ipsorumque priuilegiorum vigore nulla iura peregrina, intuitu causarum bona concernentium, inuehi possent, sed ius patrium obseruandum esset in foro patrio *f*), ideoque ius speciale Imperantis in bona eorum non adesset, nec maius bonorum auctorum, quam acquiritur, quod ad rem publicam, momentum: facile intelligi potest, quomodo factum sit, vt adeo liberam de praediis suis disponendi facultatem obtinuerint. Quare Rex CHRISTIANVS III. in confirmatione priuilegiorum de ao. MDXXXIII. *g*) consuetudinis mentionem facit, quae cum laicis, tum clericis, liberam daret bonorum alienationem, eamque numine suo firmat. Summi quoque momenti in hac re est, quod ab eodem Rege nobiles, quum vererentur, ne resignatio iudicialis, quae iam a longo inde tempore in defuetudinem abierrat, ex iure Saxonico & Iutico in priuilegiorum suorum detrimentum rursus inueheretur, in comitiis prouincialibus impetrarint, vt sibi liceret praedia valide oppignorare & vendere sine vlla sollemnitate iudiciali, modo litteris ac sigillis, aliorumque nobilium testimoniis hoc probetur *h*), id quod iam olim conuictum fuisse ex diplomatibus supra nominatis apparet. Libera autem haec alienatio non multis annis post a Rege FRIDERICO II. iterum firmata est. *i*)

K

§. III.

STIANI IV., Celsissimi Danorum Regis, de praestando homagio interueniunt controuerfiae. vid. IARGOW l. c. p. 69. ff.

*f*) Confirmatio priuilegiorum cit. Ock scholen wi Nemande urb dissen Landen vor se bruen in Sacken, de Liff edder Gudz andrepn, vor uns iaden rbo Rechre, men ein Islick sebal in sodanen Sacken, sin Rechre soeken binnen Landes, als sick gehorr. ap. IARGOW l. c. p. 7.

*g*) ap. IARGOW l. c. p. 19. Kopen

und verkopen der Guder fri rbo sin derch Geistliken und Weltliken, wo idr oldinges gewest ist.

*h*) cf. BLVTING in Comm. ad LL. Iuricas Lib. 1. cap. 24. FRANC. ERN. VOGT de iure coniugum in bona, Speciarim & sigillarim de praecipuo, quod viduis nobilium in Ducatibus Slesuicensi & Holstinae ex iure fasciae capillaris competit. Membr. II. §. 24. not. (b) p. 121.

*i*) in confirmatione priuilegiorum de ao. 1564. Thom souenteinden, dat kopen und



## §. III.

## VLTERIOR EIVS PROBATIO

I) EX GRAVAMINIBVS IN COMITIIS PROVINCIALIBVS  
CHILONIENSIBVS AO. MDLXXXVIII.  
PROPOSITIS.

Ex iis, quae modo diximus, constat, liberam bonorum auctorum alienationem inter Holfatos non modo vsitatam, sed etiam per ipsa Regum CHRISTIANI III. & FRIDERICI II. priuilegia expresse firmatam esse, nullo inter bona saecularia & ecclesiastica adhibito discrimine. His igitur argumentis, & quae pro temporum ratione plura forsan aderant, innixi, priuilegia sua defenderunt Holfatorum Ordines, quum de homagio CHRISTIANO IV., Regi Daniae, praestando ageretur, & in comitiis prouincialibus, Chilonii ao. MDLXXXVIII. electionis causa celebratis, inter alia proposuerunt grauamina: *vt cuilibet incolae principatum Slesuicensis & Holfatici emere & vendere liceret bona saecularia & ecclesiastica absque Imperantium prohibitione iuxta priuilegiorum tenorem a).* Quibus ante praestationem homagii soluentis quum strenue inhaerent, denominati sunt commissarii, qui nomine Regis, nondum in legitima aetate constituti, res propositas inquirerent, quibus sese adiunxit PHILIPPVS, Dux Slesuici & Holfatae. Duobus igitur annis post declararunt Commissarii Regii: *quamuis priuilegiorum conseruatio non inique postularetur, in fundis ecclesiasticis vendendis tamen merito cauendum esse, ne*

vorkopen der Guder vnder geistlichen und weltlichen scholen fri stan. ap. IARGOW l. c. p. 68.

a) Der Ehrbaren Landschaft uebergene Grauamina &c. an dem gebalsenen Wahl- und Landtrage des Königs CHRISTIANI IV. zum Kiel, im Monat Septbr.

1588. 7. Bittet eine erbare Landschaft das hinfürer alle und jede Einwonere diser beyden Fürstentumben kauffen und verkauften muegen mit geistlichen und weltlichen ohne der Herren Vorbort vermuege der Priuilegien. ap. IARGOW. l. c. p. 74. & 104.



ex eorum promiscua alienatione ipsa capitula & monasteria, quorum commo-  
do iidem privilegii prospectum sit, detrimentum paterentur b). Eadem  
quoque obtinuit Dux PHILIPPVS c). Quibus omnibus non  
obstantibus, Ordines prouinciales verbis privilegiorum constanter  
inhaeserunt d), effeceruntque, vt tam Commissarii Regii, quam  
ipse Dux, sequenti statim die vltiorem disquisitionem haud necessa-  
riam esse declararent e). Hic igitur ita confectis, eodem anno  
insecuta est privilegiorum confirmatio f). Ex iis autem, quae

## K 2

## tum

b) Erklärung der Koenigl. und Daen-  
nemarckischen Herrn abgeordneten Reichs-  
Räthe und Commissarien. Flensburg d. 15  
May 1590. Den Siebenden Punct, die freye  
Kauf-Handlung mit Geistlichen und Welt-  
lichen, betreffend, wird auch nicht unbillig,  
was die Privilegia desfalls disponiren, in  
acht genommen, aber doch ist von den geist-  
lichen Gärtern zu reden, ob liegende Gründe  
und Gärten, oder sonst allein communia  
communia mit andern dardurch gemeiner,  
und dabey zu sehen, ob und das desfalls ge-  
schehen koenne oder solle, damit die Stifte  
und Kloster vermoege der Privilegien bey  
macht gelassen, dran den Stränden selbst zum  
meisten gelegen, wie solches von Koenig  
CHRISTIAN dem dritten anno 1545 auf  
dem Landtage zu Schleswig auch erinnert  
worden. ap. IARGOW l. c. p. 113.

c) Erklärung des Herzogs PHILIPPSEN  
zu Schleswig Holstein &c. Flensb. d. 11 May  
1590. (Was) zum siebenden das kauffen und  
verkauffen mit Geistlichen anlangeret, da  
dasselbige insgemein von rüglichen Commer-  
ciis verstanden, so hette es damit seine  
Masse, daß es aber von Geistlichen unbe-  
weglichen Gärten sollte verstanden werden,  
die ohne Untergang des Geistlichen Stan-  
des nicht koennen alienirt werden, so wür-  
de es dem obgesetzten fünften punct von  
erhaltung der Kloster zuwieder lauffen.  
ap. IARGOW l. c. p. 119.

d) Einer Erbaren Landtschaft wohl-  
meindliche dienstliche Erinnerung und Bitte  
auf der Herren Commissarien eingekomme-  
ne Erklärung. Flensb. d. 17. May. 1590.  
Bey dem siebenden, belangend das Kauffen  
und Verkauffen mit Geistlichen und Welt-  
lichen bittet eine Erbare Landtschaft, daß  
es desfalls bey dem wortlichen Innhalt der  
Privilegien ohne einer disputation gelassen  
werden moege. quod isdem verbis re-  
petitum legitimus in einer Erbaren Land-  
schaft unterthänigen Erinnerung und Bitte,  
des Herzogs PHILIPPSEN zu Schleswig  
Holstein einkommene Erklärung in pro ue-  
bergebener grauanimum betreffend, sub eo-  
dem dato. ap. IARGOW l. c. p. 126. & 130.

e) Der Koenigl. Commissarien entliche  
Erklärung den Landstenden den 18. May.  
Anno 90 uebergeben. So viel den siebenden  
Punct belanget, dieweil ohne das in der  
Landtschaft Privilegien ausdrücklich ver-  
sehen, daß die Praelaten, Stende, und Jung-  
frauen-Closter, bey ihren Würden und in  
esse unverringert sollen erhalten werden,  
so hat man auch diesen Punct nicht weiter  
zu disputiren. Endliche Resolution des  
Herzogs PHILIPPSEN den 19. May. 1590.  
Gleichergestalt wollen sich I. F. G. auch  
auf den 7. Punct mit den Koeniglichen  
Rathen confirmiret haben. ap. IARGOW  
l. c. p. 134. & 136.

f) vide IARGOW l. c. p. 138.



tum inter Principes & Ordines disceptata sunt, intelligitur, primo: iam tum exstitisse priuilegia, quibus bonorum quorumcunque libera alienatio tam laicis, quam clericis concessa fuerit; sunt autem procul dubio haec illa, quae supra adduximus, verba generalia: *Kopent und verkopent der Guder fri ibo sin dorch Geistlichen und Weltlichen, seu under Geistlichen und Weltlichen*, quippe de quorum interpretatione tum actum est; deinde, sola clericorum bona immobilia hic in quaestionem venisse; ex quo apparet, de bonis saecularibus rem adeo fuisse certam & conclamantam, vt ne in dubium quidem vocata sit. Verum ipsa quoque libera bonorum clericalium alienatio ex eo non impugnata est fundamento, quod consensus haeredum in illa requiratur, sed, ne redditus clericorum & monasteriorum imminuerentur, illorumque dignitas decresceret. Ratio igitur coercendae alienandi libertatis non fuit bonis saecularibus cum ecclesiasticis communis, sed huius propria; non limites illi, quibus bonorum auitorum alienatio iure speculi Saxonici adstringitur, quippe quos penes Holfatos nullius fuisse momenti ex eo perspicitur, quod in ipsa dubitatione, de vendendis bonis immobilibus mota, ne verbo quidem illorum mentio facta sit. Denique haec contentio inter Principes & Ordines non immerito eandem vim ad probandam hanc consuetudinem habere videtur, quam in rebus ad ius priuatum pertinentibus ex iuris communis scitis soleat tribui iudicis decisioni, si in foro disceptatum fuerit de consuetudine. Quare etiam, ne de hac vel quacunque alia re priuilegiis comprehensa facile disceptatio oriri in posterum posset, confirmationi priuilegiorum sapienter adiectum est: *Wir wollen und sollen auch alle und jede vorgeschriebene Praelaten, Ritterschafft, Mannschafft, und Staedte Priuilegien, Begnadungen und Freyheit, wie die allenthalben in Schrifften gestellt, verfasst, wie die in ihrem natürlichen Verstande, Meinung und Buchstaben stehen und begriffen, deuten, auslegen und verstehen lassen.*



lassen, und alles derowegen ihnen gnaedig zum besten kehren. Quamuis igitur non diferte in priuilegiis dicatur, alienationem bonorum auitorum absque haeredum interueniente consensu esse validam, hoc tamen sponte deducitur, quum omnia remouenda sint, quae quocunque modo liberae alienandi facultati nocere, illamque impedire possint. Quibuscum si comparaueris diplomata supra (§. II.) allata, quibus alienationem bonorum auitorum tam inter vivos, quam mortis causa, sine praevio haeredum consensu, ita tamen, vt ipsi ad praestanda alienantis facta obligarentur, factam esse docemur, non video, quid pro contraria auctoritate speculi Saxonici in his terris afferri poterit, inprimis quum conflēt, tantam eam non esse, vt consuetudinibus & priuilegiis derogaret, sed omnem eius vim esse subsidiariam.

## §. IIII.

2) EX RECESSV COMITIORVM PROVINCIALIVM  
RENSBURGI AO. MDCXXIII. HABITORVM.

Quam modo ex priuilegiis omnibus Ordinibus communem asseruimus liberam alienandi facultatem, eadem recentioribus temporibus intuitu praediorum equestrium insigniter firmata est. In comitiis enim prouincialibus Rensburgi ao. MDCXXIII. habitis Rex CHRISTIANVS IV. & FRIDERICVS, Dux Slesuici & Holsatiae, verentes, ne promiscua bonorum equestrium alienatio dignitati nobilium, illorumque praecminentiae noceret, Ordinibus Holsatorum proposuerunt: *ne bona equestria, siue sint haereditaria, siue acquisita, nisi in nobiles transferrent a*), quibus

K 3

Ordi-

a) Rensburger Landtags-Abschied vom 10ten May 1623. Zum Siebenden, es kommen Ihr Koenigl. Mayr. und Fürstl. Gnaden in Erfahrung, das Adliche güter und Ritterseize in Bürger-Standes Personnen transferiret werden wollen. Wie nun aber ein unterscheidt des standes ist, welches auch ein unterscheidt der güter mit sich zeucht, dabey es dann ohne einige confusion zu lassen: so ist zumahl billig, das



Ordines prouinciales lubentissime annuerunt <sup>b)</sup>. Ex his autem intelligitur, probe quidem cognitam fuisse Holsatis bonorum immobilium in haereditaria & acquisita distinctionem, nullam tamen illius respectu alienationis, vel restringendae, vel libero cuiusque arbitrio relinquendae, rationem habitam esse, quum potius haec adeo libera fuerit, vt ne ea quidem respicerent incommoda, quae personarum & natalium dignitati ex promiscua hac alienatione forsitan imminerent. Ipsa quoque huius nouae legis prohibitio non eo tendit, vt speculi Saxonici de alienandis bonis immobilibus dispositionem, illiusque inter bona titulo vniuersali, aut singulari delata distinctionem, in praediorum equestrium alienatione obseruatam velit, sed aequalem hac in re penes Holsatos bonorum haereditariorum & acquisitorum naturam diferte tuetur, & vtriusque generis bona immobilia, non familiae relinquenda praecipit, verum hoc tantum cauet, ne ad inferioris dignitatis personas transferantur. Plane igitur alia huius prohibitionis intelligitur ratio, ac restrictionis per speculum Saxonicum factae, quum haec tituli illius, quo quisque bona immobilia acquisierit, diuersitate, iuribusque familiae ex eo

die Ritterstze und Adellgüter bey den vom Adel verbleiben. Derowegen gesinnet thro Koenigl. Mayr. und Fürstl. Gnaden gnädigst und gnädig, das, welche vom Adel ihre anererbte oder habende Ritterstze, oder Adelige Güther verkauffen wollen, selbige nicht in Bürgerstandes Personen transferiren, damit also neben den unterschied der Personen auch ein unterschied der Güther, Immassen auch an vielen andern obrten gehalten wird, verbleiben, und die Adel-Freyheiten von denen, welche dieselbe verdienen müssen und können, allein genossen, sonstn auch andere inconuenientia, welche hieraus entstehen

koennen, verhütet werden. cf Verzeichniß der Privilegien, die zu Lübeck 1651. befunden, registrirer, und beygelegt worden. p. 209. ff.

b) Ibid p. 224. Nachdem auch fürs 7. die alienation und verensserung der adelichen Gütere in Bürgerstandespersonen vielte beschwerliche inconuenientien, vndt ungelegenheiten gehebret, und mit sich bringet, Als ist der gehorsamen Ritter und Landschafft einhelliger Beschlus, und unzertühnig und unrerühnigste Boliclung, das binstübro in diesen Fürstenthumben keine adeliche Gütere an Bürgerstandespersonen und Communien transferirer werden sollen.



eo pendentibus, nitatur, illa vero ad solam personarum dignitatem & praecminentiam spectet. Sed ipsa haec lex, qua nobilium in alienando restringitur libertas, aut nunquam in usum deducta, aut certe dudum oblitterata est, quod non solum docent plurium praediorum equestrium exempla, quorum possessores non sunt in nobilium ordine, sed etiam constans usus hodiernus.

## §. V.

3) EX ORDINATIONE IUDICII PROVINCIALIS  
SLESVICENSIS ET HOLSATICI REVISAE  
P. IIII. TIT. V. §. XIII.

Quae hactenus disputauimus, pertinent praesertim ad alienationem inter viuos. Sed eadem quoque circa alienationem mortis causa obtinere, apparet ex constitutione de iure faciae capillaris viduarum nobilium, quae inserta est ordinationi iudicii prouincialis, iunctis iis, quae in reuisione ordinationis sunt proposita. Ibi <sup>a)</sup> enim *femina nobilibus denegatur ius in detrimentum liberorum de bonis immobilibus haereditariis tam inter viuos, quam mortis causa disponendi*. Quam alienationis prohibitionem ab ipsis Ordinibus prouincialibus propositam esse liquet ex responsione eorum ad monita Regia & Ducalia, qua <sup>b)</sup> *communi omnium voluntate* conclu-

<sup>a)</sup> Ord. ind. Prouinc. P. 4. tit. 5. §. 14. in f. Gestalt imgleichen eine Frauens-Person nicht bemächtigt, de bonis immobilibus haereditariis, und von Erbgütern, in praedictum liberorum, einige Disposition inter viuos, oder mortis causa, aufzurichten, und dieselbe dadurch, oder in andere wege, den Kindern entweder ganz, oder zum theil zu veralieniren und zu entwenden.

<sup>b)</sup> ap. CRONHELM im historischen Bericht von den alten und neuern Rechten

und Gerichten in Holstein cap. 4. p. 235. Ent- und Schließlich die Testamentirung der adelichen Frauen anreichend, so ist nach vielen Vnfragen Communi Consensu dahin geschlossen: Daß . . . eine Maritata nicht befuegt in praedictum suorum Liberorum einzige bona Immobilia haereditaria & auita Dispositione quadam zu abalieniren, ratione autem Collateralium wehre es allerdings zu lassen, wie dann die iura disponiren.



conclusum esse referunt: ne mulier nobilis in detrimentum liberorum suorum vlla bona haereditaria & auita abalienet; ratione collateralium autem iurium dispositio seruetur, cui, absque vlla contradictione, Regis & Ducis auctoritas accessit <sup>c</sup>). Sane haec luculenter docent, tam masculis, quam feminis nobilibus liberam competiisse alienandi facultatem, in ipsa iurium dispositione fundatam, nec solum inter viuos, sed etiam mortis causa. Quum igitur prohibitio alienationis hoc loco facta ad solas feminas pertineat, intelligitur, iuri veteri respectu masculorum nil derogatum, quinimo magis id firmatum esse, quoniam ius pluribus commune, dum alteri tantum parti adimitur, alteri tacite & implicite asseritur. Praeterea ipsa haec prohibitio rem nostram firmat, quum ex eadem efficiatur, ne ipsis quidem liberis, in quorum damnum ageretur, ius contradicendi olim competiisse, multo minus agnatis, quorum intuitu hac ipsa lege bonorum auitorum alienatio a feminis facta incolumis & libera seruetur. Contradicendi iure autem deficiente, ipsa quoque in alienationem consentiendi necessitas tollitur, quum vtriusque iuris vna eademque ratio, vnus idemque fons sit. Quaei autem hoc loco non inconcinne poterat: vtrum alienatio praedii haereditarii a muliere nobili absque liberorum quidem consensu, attamen citra damnum eorundem facta, postea a liberis impugnari possit? Ad quam si respondendum est, non quidem illis assentiri possumus, qui, legitima liberis relictâ, alienationem hanc validam declarant, quum haec argumentandi ratio prorsus ab hac re aliena sit <sup>d</sup>). Minime enim hic agitur de parte quadam bonorum

<sup>c</sup>) Der Herrschaft absunderliche Proportion und Resolution wegen verschiedener Punkte ad. CRONHELM. l. c. p. 243. in f. Gestaltam dann auch eine Frauensperson nicht bemaechtiget, de bonis Immo- bilibus haereditariis und von Erb-Guetern in praedudicium. Liberorum einige Dispo-

sition inter viuos, oder mortis causa aufser- richten, und ihnen solche Gueter ganz oder zum Theil aus Handen zu bringen.

<sup>d</sup>) vti iam docuit DREYERVS de restricta facultate alienandi bona haereditaria p. 8. not. b. in f.



auctorum, quam feminae nobiles liberis tantum relinquere debeant, nec liberorum ius ad legitimam iuris Romani adstrictum est, quin potius simpliciter feminae tam integrum praedium, quam partem illius, alienare prohibentur, ne quid ex eiusmodi alienatione detrimenti capiant liberi. Attamen quatenus huius generis detrimentum, ut est in quaestione, liberis plane non evenit, eatenus ratam habendam esse putarem alienationem a matre factam. Quare, ut licita ea dici possit, necesse erit, ut vel praedium, quod aut maioris, aut certe non minoris pretii est, liberis loco eius, quod alienavit, restituerit, vel pretium venditionis tantum fuerit, ut usurae percipiendae reditus fundi exaequantur, aut superarent. Tunc enim rationi legis satisfactum erit, quae laesionem liberorum prohibet, quum non solum nulla adfuerit laesio, sed etiam lucrum ex alienatione provenierit. Quae quum ita sint, plane diversa alienationis bonorum haereditariorum conditio est ex iure Holsatico ac ex iure Saxonico. Dispositionis enim iuris Saxonici unica ratio est in eo, quod bona a maioribus provenierint, ideoque ea non in praesentis tantum possessoris, sed potius uniuersae familiae dominio sint; quamobrem illa quoque discrimen sexus in possessore praesenti plane ignorat, neque liberis tantum, sed & agnatis prospicit: prohibitio autem iuris Holsatici vnicuique fundata est in laesione liberorum praecauenda, qua deficiente, bona haereditaria aequae valide alienari possunt, ac titulo singulari acquisita, quae laesio iure futuro tantum liberorum in bona haereditaria nititur, quum haec bona non per se alienationem respiciant, sed saltem in casu per legem specialiter determinato, ita ut, cessante damno, nec liberis rei vindicatio competat, quum omnium ius dependeat a laesione, nec consensus eorum in alienationem requiratur; omnis porro haec prohibitio ad solas feminas pertineat, non ad masculos, qui bona auita tam inter vi-



vos, quam mortis causa, libere alienare possunt, uti etiam in feminis cessat respectu agnatorum & cognatorum, quia alienatio omnium bonorum, tam mobilium, quam immobilium, tam auitorum, quam acquifitorum, regulariter penes Holsatos libera est ex priuilegiorum tenore.

§. VI.

4) EX VSV QVOTIDIANO.

Omnibus autem haftenus deductis colophonem imponat quotidiana liberae bonorum auitorum alienationis penes Holsatos obseruatio, quam sequentem in modum testatur FRANG. ERN. VOGT. <sup>a)</sup>: quum Holsatia ius Saxonicum commune sequatur, hoc vero bonorum haereditariorum alienationem, in gratiam extraneorum factam, non aliter permittat, quam si fiat consensu proximorum, & quidem in iudicio, quaestio se sinit, si viri Nobiles de eiusmodi bonis testari velint? Nos negatiuam amplectimur, consuetudines enim, longo rerum vsu receptae, praeseruntur iuri Saxonico; & quoniam negari nequit, nobiles praedia sua, licet haereditaria, pro lubitu vendere, permutare, aliisque modis inter vivos alienare, consanguineis hoc nequicquam prohibere valentibus, nulla suppetit ratio, quare mortis causa idem eis facere permissum non sit, sicuti etiam notum est, quando aliquis cauere vult, ne bona ex familia sua ad alios transeant, solere illum per fideicommissariam dispositionem posteris suis in eo certam legem dicere, cuius rei illustria habemus in Familia Rantzouica exempla, manifesto satis indicio, prouisione hominis opus habere, in quibus deficit prouiso legis. Ex beniuolentia autem VIRI SUMME VENERABILIS, EXCELLENTISSIMI, GENEROSISSIMI, quem Fautorem appellare licet, CAII RANTZAV, Potentissimi Regis Daniae a Consiliis Sanctioribus, Capituli Virginum nobilium Preetzenfis Praepositi, Equitis Aurati, facultas mihi obtigit hanc rem illustrandi exemplis ex Illustrissima Holsatorum Gente Rantzouiana depromtis.

<sup>a)</sup> in diff. de testamentis secundum iura Slesuicensia & Holsatica §. 4.





promtis. Is enim mihi auctor fuit, CHRISTIANVM RANTZAV, Dynastam in Breitenburg, qui primus fuit in hac Gente Comes, Duci Holsatiae, quum is ao. MDCXXXVIII. ei praefecturam Barmstedienfem vendidisset, praedium equestre, quod ipsi Familiae nomen dedit, eique per quatuor aut quinque fere saecula proprium fuit, in solutum dedisse <sup>b)</sup>, eundem vero illud, non multis annis post denuo redemptum, ad descendentes transmisisse, donec CATHARINA HEDEWIGA, Comitissa Castellana, ad quam ex haereditate fratrum suorum peruenerat, illud Comiti HENRICO REVENTLOW vendiderit. Similia fata fuerunt praedii equestris *Saltzau*, quod eidem quoque Familiae per multa saecula haereditarium fuerat <sup>c)</sup>, a fratribus autem & haeredibus BARTRAMI RANTZAV venditione ad CHRISTIANVM LVDOVICVM DE PLESSEN postea translatum est. Nec breuiori tempore Clarissima ista Domus haereditario iure possederat praedium equestre *Neubaus* <sup>d)</sup>, quum CAIUS RANTZAV, possessor praedii Gros-Colmar, sororis suae marito, DETLEVO BROCKDORFF, Dynastae in Saxdorff, illud venderet. Sic quoque praedium auitum *Putlos* <sup>e)</sup> vna cum *Schweelbeck*, separatis reseruatisque Segalendorff & Banckendorff, quae antea cum illis coniuncta fuerant, Baronissae de LILIENCRON venditum est a IOANNE RANTZAV, qui idem ao. MDCCXXXIX. praedium *Pancker* <sup>f)</sup> e Gente sua, quae per multa saecula id possederat, alienauit. Quibus recentissimum accedit praedii auiti *Abrensburg* venditi exemplum, luculentissimo documento, apud Illustrissimos Holsatiae Equites liberam fundorum auitorum alienationem, priuilegiis munitam, ab antiquissimis inde temporibus ad hodiernum diem vsque in vsu fuisse.

<sup>b)</sup> CASPAR DANCKWERTH *Neue Landesbeschreibung der beyden Herzogthümer Schleswig und Holstein* p. 230. col. 2.

<sup>c)</sup> Idem l. c. p. 208.

<sup>d)</sup> Idem l. c. p. 207.

<sup>e)</sup> Idem l. c. p. 213.

<sup>f)</sup> Idem l. c. p. 209.



T H E S E S  
DISCEPTANDI CAUSA ADIECTAE.

I.

Quo legitima liberis rite relinquatur, non requiritur, quem vulgo dicunt, titulus institutionis honorabilis, modo ipsi instituuntur haeredes. Nec aduersatur Nov. CXV. cap. 3.

II.

Ad legitimationem per subsequens matrimonium ex iure Romano sufficit, tempore natiuitatis liberorum matrimonium inter personas concumbentes subsistere potuisse.

III.

Aestimatio rei legatae, in commercio priuatorum existentis, debetur legatario, quamuis eadem in ipsius commercio non sit; quicquid alii ex L. 49. §. 2. D. de legat. II. & L. 11. §. 16. D. de legat. III. in contrarium afferant.

IIII.

Ius Romanum forum deprehensionis plane ignorat, quamuis plerique interpretes in L. 1. C. vbi de criminib. agi oport. illud inuenisse sibi persuadeant.

V.

Pignore tradito creditor tenetur ad culpam leuem, non ad custodiam seu culpam leuissimam; quae enim aduersari videtur L. 13. §. 1. D. de pigneratit. act., ad hanc rem plane non pertinet.

VI.

Litis contestatio malam fidem non inducit; nec obstat L. 25. §. 7. D. de haeredit. petit.

VII.

Emtor remedio L. 2. C. de rescind. vendit. vti nequit, nisi pretium solutum duplo maius sit iusto pretio.

VIII.

Privilegia admittunt interpretationem extensiuam & restrictiuam.

VIII.

Emphyteusis, inuito domino, cedi nequit.




Kiel, Diss., 1777-1800

ULB Halle 3  
002 513 005



f  
5b.









B.I.G.

Farbkarte #13

1778, 15

DE LIBERA  
**BONA AVITA ALIENANDI**

FACVLTA TE  
IN HOLSATIA PER SPECVLVM SAXONICVM  
NON RESTRICTA  
*LIBELLVS ACADEMICVS*

AVCTORITATE  
INCLITI IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

PRO  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

A. D. XV. APRILIS A. O. R. CIO IDCC LXXVIII

AD DISCEPTANDVM

PROPOSITVS

AB AVCTORE  
FRIDERICO CHRISTOPHORO IENSEN  
KILONIENSI

ILLVSTRISSIMI CORPORIS PRAELATORVM ET NOBILIVM SLES-  
VICENSIVM ET HOLSATICORVM DEPVATIONIS PERPETVAE  
A LITTERIS ET CAVSSARVM IN IVDICIIS INFERI-  
ORIBVS DVCATVS HOLSATICI ORATORE.

KILIAE  
LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII  
ACAD. TYPOGR.

